



BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

971





DEFENSIO

BREVIS ANONYMI CUIUSDAM,
de Ecclesia & missione mini-
strorum tractatus, adver-
sus responzionem

ANDREÆ MIEDZIBOZ.

THEOPHILo NICOLAIDE
ante annos quinque conscripta,
nunc autem edita.



~~Exhibit of Semeniski a Simeon
Patishevius Patalobus~~

RACOVIAE,
Anno 1612.

10.900



XIV - 974 II

DEFENSIO,

BREVIS ANONYMI CUJUS DAM,
qui est FAUSTUS SOCINUS, de Eccle-
sia & ministrorum missione tractatus
adversus responsionem ANDRE-
Æ MIEDZYBOZ.

Duobus breviusculis, uno de Ecclesia, altero de mis-
sione Ministrorū tractatib⁹, nuper a nostris in lu-
cem editis, Andreas quidam Miedzyboz, sex ca-
pita responsionum opposuit, quibus se totum illud,
quod in istis tractatibus continetur, funditus e-
vertisse credidit, adeò, ut nostrā brevem demon-
strationem, longam delirationem esse pronunci-
are non dubitaverit. Hoc an ita se habeat, néc
ne, pio & prudenti lectori judicandum propo-
nimus, per ea, quæ breviter ad illius responsio-
nem, Deo juvante, allaturi sumus.

Ad CAP. I. Responsio.

Hic in ipso statim capit⁹ argumento du-
pliciter lapsus est Respondens, vel dupli-
ci potius usus est cavillo, ne dicam calu-
mnia, dum introducit adversarium in ipso Cap. i.
argumento afferentem, quæstionem de Ecclesia
inutilem esse, & deinde in ipso capit⁹ initio idē
repetit, his verbis: Inutilem tu censes omnem
de Ecclesia quæstionem? Primū enim Ano-
nymus non simpliciter de quæstione de Ecclesia, sed
erto respectu loquitur. In ipsa enim demonstrati-
onis sua fronte hæc verba addidit, eaq; in sua demon-
Lapsus Ge-
cavillus
Miedzyb.
duplex,

Defensionis tractatus

2

stratione iteravit, questionem de Ecclesia, quænam
sive apud quos sit, non esse necessariam. Potest
autem esse utilis vel etiā necessaria questio de Ec-
clesia alio respectu, nempe an sit, & quām præstans
sit; etiam si eatenus non sit omnino utilis vel necessa-
ria, quænam sive apud quos sit. Et si fortasse alicubi
in demonstratione dictū est, questionem de Ecclesi-
a propemodum non esse necessariam, vel inutilem,
non additis illis verbis Quænam, vel apud quos
sit, non est tamen putandum, de alia questione agi,
& jam absolute, jam secundū quid (ut loquuntur)
de ea sermonem esse: sed hæc verba simpliciter ita
posita, ex prioribus, in quibus additum fuerat, qua-
tenus questio de Ecclesia, quodammodo inutilis esset,
supplenda sunt.

2. Deinde, non dixit unquam Anonymus, questio-
nem de Ecclesia inutilem esse. In ipso enim demon-
strationis initio planè aliter loquitur, nempe non es-
se necessariam. Multa autem esse non necessaria,
que tamen possint esse non inutilia, nemo Theologo-
rum, addo etiam hominum sapientium nescit. Et
hoc probè intellexisse Respondentem, ex argumento
& initio cap. 2. apparer, ubi ait: Perperam ad
versarium concludere ex eo, quod Ecclesia
in quibusdam, ut ipse loquitur, errare possit,
ejus cognitionem, idcirco necessariam non
esse simpliciter. Et iterum: si necessarium esse
scire, ubi esset vera C H R I S T I Ecclesia, &
Et licet in ipsa demonstratione dicatur semel a-
sserum, questionem de Ecclesia non tantum no-

qui

necessaria sed etiam inutilem esse: tamen id nunquam ita simpliciter affirmatur, sed semper aliquid tale additur, quod duritiem hujus vocis emollire possit, nempe, propemodum, vel quodammodo. Immò etiam, ne quis forte cavilletur, anonymum in hoc ipso, quòd questionem de Ecclesia, quænám sive apud quos sit, non necessariam esse dixerit, fol. 4. hoc addidit, se loqui, non de quacunq; necessitate, sed de necessitate per se; tacite innuens, esse aliquam necessitatem de Ecclesia inquirendi, & eam cognoscendi, nedum ut non sit utilitas, eaq; non vulgaris, istius inquisitionis & cognitionis.

Quod ad ipsum caput attinet, duo in eo persequitur Respondens, que in argumēto proposuerat. Primum docet, adversarium, quem vocat, nihil proficere, dum afferit, questionem de Ecclesia esse inutilem. Alterum est, cum hæreticorum ingenium imitari.

Quod ad prius attinet, non est cur immoremur in aliqua ad illud responsione, cùm jam demonstratum sit, Respondentem injuriā id affingere Anonymo, & ita eum cum umbra sua pugnare. Si dicat respondens, se responsione sua docuisse, questionem etiam de Ecclesia, quænám, sive apud quos sit, esse necessariam, jam ad istud totum, quo illud docere conatur, satis abundè responsum est in demonstratio- ne. Summa est: Posse aliquid esse admodum di- vīnum & singulare, & tamen non teneri hominem Christianum de eo inquirere, sed tantū teneri illud cognitum in precio habere, & debito honore af- sicere. Posse etiam aliquem esse in Ecclesia, etiam-

Defensionis tractatus

4

finon inquirat, ubi ea, & quæ sit, si scilicet veritatem divinam & salutarem teneat, ad quæ Respondenti respondendum erat, non verò ea tanquam nova argumenta vel objectiones afferendæ. Quia in
tiedz. ne- re suam vel negligentiam vel etiam astutiam pro-
lignantia didit, qui refutaturus demonstrationem, ea susq;
el astutia deq;^z habuerit, & ne tetigerit quidem, quæ expressè
& satis prolixè in ea proponuntur & solvuntur: vel
ideò ad ea non responderit, ut habere videretur,
quod novum afferret.

Quanquam Respondens non satis aperte, vel eti-
am verè, quædam testimonia ad suum propositum
pertraxit. Ait enim Ecclesiam esse, illam aream
Noë, in qua qui non est, aquis diluvii absorbeatur
necessè est, idq;^z Petrum indicare præterea affirmat.
^{1 Pet. 3.}
^{20, 21.}
xplicatio
tiedz. fal-
sa.
Cum tamen D. Petrus planè aliud apertissime iste
arce opponat, nempe Baptisma, idq;^z spirituale vel in-
ternum, & de illo prædicet, quod nos perinde servet,
quemadmodum olim arca servaverat Noë. Non
crediderim autem, vel ipsum Respondentem tam
pertinacem futurum, qui hoc ita se habere confessu-
rus non sit, nisi fortasse Baptisma ipsum, Ecclesiam
esse contendere velit.

tiedz. au- Illud verò, quod ab Augustino profectum, nobis
acia. tantopere commendat Respondens, quod Ecclesia sit
omnium fidelium parens, quam qui in terris non
habeat matrem, eum in cælis non habiturum Deum
Patrem, speciosè quidem dicitur, sed interim fru-
ctum nullum adserit: quinetiam homines ad quan-
dam superstitionem perducere potu est. Hoc cer-
tum

rum est, nec eadem verba, nec alia eundem sensum exprimentia, in toto S. literarum volumine, uspiā extare, & falsissima ea esse nemo dubitare debet. Fides enim est, per quānos homines Dei filii sumus & erimus. Hac vero per auditum verbi divini good est Evangelium, gignitur. Posse autem aliquem verbum Dei audire, & ita fidem ex eo disce-re, etiam si Ecclesiam esse vel nesciat, vel etiam du-bitet, nemo nisi Pontificius negabit. Quo jure vero, omnium illorum, qui unquam ad Christum con-versisunt, exempla docere possunt.

Gal. 3. 29
Rom. 10. 1

Sed audiamus, quomodo probet Respondens, nos Miedz., hæretorum ingenium imitari. Hæretici, ait, phista, tales semper fuerunt, ut quæ suis placitis & erroribus obstarere viderent, quavis ratione tollere de medio conarentur. Tales enim fuerunt Manichei, qui Evangelium Matthei, Ebioniti, qui omnes Pauli Epistolas, & Lutherus, qui epistolam Iacobi ejecit. Idem facit Anonymus, quia questionem de Ecclesia rejecit ut non necessariam. Ergo ingenium hæretorum imitatur. In qua argumentatione Respondentis, nihil rectum, nihil sanum. Primum enim inest in ea apertissima conse-quentis, quam vocant, fallacia. Ut ut enim certum sit, hæreticos ea e medio tollere conari, quæ ipsorum placitis & erroribus obstarere videntur, non tamen vicissim certum est, eum, qui quæ suis placitis obstarere videt, de medio tollere conatur, protinus esse hæreticum. Nonne enim idem facere posset is eti-

Defensionis tractatus

6

am qui sanctissimus Dei servus & Christi Apostolus
esset, & justissimam causam tueretur, ut scilicet
præcisurus occasionem inquirendi de aliqua re, quæ
anxiè admodum à multis agitetur, dicere possit, ista
rem & inquisitionem illius planè non esse necessari-
am, si modò ita se res haberet, hoc est, si re ipsa, que-
stio de illa re non esset necessaria! Imò hoc pruden-
tia alicujus singularis indicium esset. Non culpan-
dum riguiur id, quod affirmaret, sed quam justè id fa-
ceret, considerandum esset. Quod in hoc etiam ne-
gotio Respondenti faciendum erat, & ad ea respon-
dendū, quibus in demonstratione probatū fuit, nō es-
se per se necesse, ut vera Christi Ecclesia inquiratur.

xieds. pris. ip. petiz. Deinde in probatione propositionis, nonné id
sumit pro concessu Respondens, quod maximè est in
controversia? Hos enim hæreticos pronunciat,
apud quos ille vicissim summus est hæreticus. De
Manicheis & Ebionitis, quos citat Respondens,
nihil hic est, quod dicamus. nihil enim nobis cum
illis commune est. De Luthero paucis dicemus.
Nonné de eo, an hæreticus sit, hodie Theologi
certant, & ad huc sub judice lis est? Et certè ni-
mis audacter, suo Pontificio & magistrali more,
Respondens tacitè affirmat, quod quomodo probent
non habent, acutissimi licet, Pontificiorum antesi-
gnari, se scilicet esse veræ Ecclesiæ membrum; ano-
nymum verò ab ea alienum vel exclusum esse. nam
de eo in hoc ipso scripto præcipue questio est, An Pon-
tificii sunt vera Ecclesia, nec ne? Si verò hereticus
est, qui fundamenta Christianæ religionis subver-
tit

rit, vel dogmata quædam recipit Christianæ religio-
ni contraria, qui non videt, tales omnes esse Ponti-
ficos, respectu Ecclesiæ Apostolice: hos verò, qui a
Pontificiis secesserunt, nullo modo tali nomine deni-
grari posse, aut debere, ut pote qui in omnibus sacro-
sanctum Christi Evangelium pro norma fidei unica
habent, & cum Pontificiis in hoc perpetuo bellum
gerunt, quod demonstrant, multa ab eis ad Christia-
næ religionis corpus assuta esse, quæ ei sint planè e dī-
ametro contraria, & ejus fundamenta subvertant.
Quid enim? Potestne aliquid esse antiquius, in to-
ta Christiana religione, quam gloria Dei, & Iesu
Christi, & vera pietas? Certe gloriæ sua causa De-
us omnia facit: Pietas verò unicum est illud, sine
quo salus aeterna aquiri nullo modo potest. Quo-
modo verò gloriam Dei is non obscurat & opprimit,
qui eum, qui Deo debetur, cultum, tribuit rebus
mortuis & mutis, quod sit cultu imaginum, sancto-
rum, Virginis Mariæ, & istius, (quam vocant) ho-
stie sacramentalis? Quomodo item non obscurat &
opprimit gloriam Iesu Christi unici salvatoris no-
stri, qui Vicarium ejus in terra constituit hominem
mortalem & peccatorem, & qui tantum ei tribue-
re non veretur, quantum nec ipst̄ Iesu Christo S. tri-
buunt litteræ? Quomodo deinde veram pietatem
is non tollit, qui variis superstitionibus & tradicio-
nibus Ecclesiasticis, palmam inter virtutes Christi-
nis attribuit, & eum verè Christianum pronunciat,
qui istarum superstitionum est quam observantissi-
mus, etiam si interim animum habeat omni iniqui-

sate & cupiditate mala repletum, & externa ejus facta, nihil cum Christi præceptis commune habent. An verò hæc omnia fiant in Papatu, judicet pius & cordatus lector, judicet etiam ipse Respondens. Accusat igitur Respondens Anonymum ejus criminis, cuius ipse reus est, ne reus illius esse apud rudiores videatur.

Assumptio verò primùm falsa est. nec enim Anonymus simpliciter rejicit questionem de Ecclesia, sed astutia hæc est vel calumnia Respondentis, qui hoc Probatio affirmantem facit anonymum. Deinde etiam si es Miedz: se verissima, quænám rerum comparatio esset ista & firme. Manichei Evangelium Matthæi e Canone scripturaræ divinæ expunxerunt; Ebionitæ omnes Pauli Epistolas; Lutherus Epistolam Iacobij rejecit, Anonymus ait, questionem de Ecclesia, quænám & apud quos sit, non esse necessariam. Ergo Anonymus facit id, quod fecerunt heretici. Ergo idem est apud Respondentem, questionem aliquam eamq; ex humano ingenio natam, & sacrum Codicem rejicere. Sic scilicet præceps & cæcus Respondens ad defendenda Ecclesiæ suæ Pontificiæ placita, & ad refellendam contrariam sententiam fertur. Sed præterea, quæ comparatio non tantum inter nos & illos, quos hereticos Respondens appellat; verum etiam inter illos ipsos, quos hereticos appellat, Rejecerit aliis Evangelium, aliis Pauli Epistolas, quid hoc ad Lutherum, qui nullam Epistolam Apostolicam rejicit, sed de ea, quæ Apostoli esse a quibusdam creditur, dubitat, an sit Apostolica? Certè hac in re secutus est

¶ us est Lutherus ipsum Eusebium, qui eam inter eas lib. 2. c. 25. scripturas numerat, quae olim non erant receptae, immo adulterinam eam nominare non dubitat: & ipsum Hieronymum qui etiam de hac Epistola dubitavit: Hieron. in ideoq; non erat, cur eum sic perstringeret Respondens. Quod verò verbis usus est paulò durioribus Catalogo. Lutherus in sententia ferenda de illa Epistola, id, De Luthere quantumvis respectu Epistolæ ad Romanos ab eo dictum sit, quod scilicet non possit Epistola Iacobi infringere id, quod in ea Paulus de fide testatur, & ita aliquomodo excusari fortassis possit: tamē si quis rigidè rē exagitare velit, ej⁹ imperfectioni ascribendum omnino est. Non intellexit scilicet Lutherus, quid D. Paulus, & quid D. Iacobus, sub fidei & operum vocabulo intelligeret, nec mirum, non enim uni omnia Deus instauranda commiserat, que per tot secula tot Antichristi satellites tam turpiter corruerant Christianæ religionis dogmata. Primam glaciem per fregit Lutherus, & suus ei debetur honos; Deo verò in primis gratiae, qui illum excitavit. Hujus vestigiis alii insistentes, opus illud divinum hactenus constanter & sortiter urgent & persequuntur, nec cessabit divina Iesu Christi cura, donec omnibus innotescet, Ecclesiam Pontificiorum totam, quanta quanta est, fuisse & in fide & in moralam norma corruptissimam.

Dissoluto hoc arguento Respondentis, videamus, quid amplius in hoc Capite tractet. Causam affert, quare Anonymus hanc questionem proposuerit, quod ostendere, ne si creper quidem, non potuerit,

rit, Ecclesiam scilicet apud eos esse, qui non sunt Pontificii. Quomodo enim, ait Respondens, penes vos Ecclesia Dei esse potest, qui heri deum et tenebris prodiuitis, nec alium, ante Lutherum proferre potestis, qui in omnibus dogmatibus vobiscum conveniret? cum tamen Ecclesia Christi semper esse, pastoresque aspectabiles perpetuo nexu sibi succeden-

Miedzyb. tes habere debuerit? O plumbeum, immo rur Argumen- sticum argumentandi modum. Vetus est illa cantitu- tum infir- lenta Fontificiorum, quam hactenus ideo perpetuus eum. occidunt, quia scilicet non pauci eorum, qui ab illis secesserunt, pariter contenderunt, Ecclesiam semper extitisse, & necesse fuisse ut extaret. Sed si quis Pontificis obiciat, nullam quodammodo Ecclesiam aspectabilem, ante Lutherum per multa secula fuisse, & denuo aliquam ejus faciem a temporibus Lutheri apparuisse, quid ad hoc dicent Pontificii? Dicent hoc, se fuisse veram Christi Ecclesiam. nullos enim extitisse Christi professores praeter Pontificios, ante Lutherum. at si quis istud neget, quomodo istud probabunt? Siccine, ut Respondens hic ait, quod semper Ecclesia esse debuerit. At hoc est incertum per incertum probare. Vnde enim hujusmodi prodidit oraculum? ex S. literis? Ostendat locum Respondens. ex aliqua iusta consequentia, que ex S. literis petita sit? Promat ea Respondens. Crediditne Respondens, nos ipsius nudis dictis fidem adhibituros, quemadmodum alicui Apostolorum? Sciat potius, istud totum, quod nimisrum necesse fuerit, ut aliqua

aliqua Ecclesia visibilis semper extaret, quod hic affirmatur, cum S. literis tātūm non pugnare, vel saltem se nunquam illud demonstraturum, de quo suo loco plura.

Sycophantam etiam esse; & aliud verbis simularē. aliud re ipsa ostendere ait Anonymum Respondens, quod Ecclesiam magnificiendam esse affirmet, & tamen neget eam esse inquirendum. Sed respondendum erat ad argumenta, quibus hæc sententia probata fuerat in demonstratione. Verbis nihil proficiunt apud cordatos: in quibus iterum, nisi aliquā nocuisset, mortuus esset Respondens. Ait enim Anonymum persuadere velle, hominem Christianum de vera Christi Ecclesia sollicitum esse non debere. Quæ verba omnem prorsus de vera Ecclesia cogitationem prohibent: Verba autem Anonymi tantum id persuadere volunt, non esse necesse per se, ut Ecclesia inquiratur. Sed jam omis̄is istis, pergamus ad secundum Caput.

Ad C A P . II. Responsi

IN hoc secundo Capite Respondentis, loco refutationis, aliud planè nobis agendum est. Accidit enim Respondenti, ut nimium sapiendo, tantum non desiperet, & ita errorem nimis crassum & intolerabilem committeret. Voluit scilicet sensum & argumentationem Anonymi exprimere, interim se ita intricavit, ut commiseratione etiam dignus sit. In quo exagitando multi esse potuissemus,

si ali-



si alienæ ignorantiae insultare propositum nobis esset.
Craßuser- *Est autem error in hoc : quod primū Respondens
 or Miedz. Anonymum, qui in sua scriptione partes responden-
 tis tuetur, argumentantem facit. Proposuerat enim
 argumentum Pontificiorum Anonymus, & ad illud
 directè, ut unicuique demonstrationem legenti appa-
 rece potest, respondet. Respondens vero eum sic in-
 trudicit, & sibi singit, ac si aliquid contra Pontifici-
 cios probandum suscepisset. Quod etiam si non mini-
 mum sit in tantæ rei investigatione : facile tamen
 condonari potest Respondenti. Quid enim mirum si
 erravit Miedzyboz? errarunt in hoc sapissime acu-
 tissimi quiq[ue] Pontificii scriptores. An id studio fiat,
 an casu, equidem nescio. indignum sane est istiusEc-
 clesiæ, quam errare non posse creditur, defensoribus.*

Craßuser- *Sed deinde, quid in mentem venit Respondenti,
 or Miedz. quod tam turpiter extra oleas vagatus est, etiamfi-
 tandem Anonymus actoris vel argumentantis par-
 tes sustineret, eum concludere voluisse ex eo, quod
 Ecclesia in quibusdam errare possit, cognitionemEc-
 clesiæ non esse simpliciter necessariam. Nonne enim
 in ipso prioris tractatus titulo, duo quasi Capita con-
 tinentur, quæ sibi proposita esse Anonymus aperte
 declarat, quorum prius est, Pontificios sua dogmata
 & ritus, Ecclesiæ autoritate minimè tutari posse:
 posterius, questionem de Ecclesia, quænam, sive apud
 quos sit, non esse necessariam. Et prius quidem poti-
 us est hoc posteriori, & hoc posterius consequens
 quoddam est prioris, vel ex illo priore fluit. Duo i-
 gitur sunt, non unum quæ in hoc scripto tractat*

Anony-

Anonymus, & prius quidem, usq; ad illa verba, quæ tertio capite examinat Respondens, extenditur. Summa hæc est. Argumentum Pontificiorum proponitur, Ecclesiam errare non posse, Pontificios vero esse Ecclesiam, & ad illud respondetur negando, tum propositionem, tum assumptionem. Propositionem quidem hoc modo. Quod non simpliciter & absolute verum sit, Ecclesiam veram Christi non errare, sed secundum quid, nempe in iis, quæ ad salutem sunt necessaria: fieri interim posse, ut in multis, quæ ad salutem non sunt necessaria, erret. Vnde concludi debet, etiamsi verum esset, Pontificios esse veram Christi Ecclesiam, tamen hinc non consecutur, eos in quibusdam, quæ ad salutem necessaria non sunt (qualia sunt multa, de quibus inter ipsos & nos controversia est) non errare. Ad assumptionem vero ita responsum est, quod Pontificii, pro vera Christi Ecclesia haberi minime debeant, quia salutarem Christi doctrinam non habeant, neq; profiteantur, & ea simul soluta sunt, quæ de notis Ecclesie Pontificiæ asserre solent. Cum umbra igitur sua pugnat per totum hoc suum secundum caput Respondens, nec ullo modo tenemur, ut amplius quid ad illud respondeamus.

Quod enim pro corollario affert Respondens illæ verba: Ex his quæ breviter à nobis disputata sunt, arbitramur, non obscurè intelligi posse, &c. ea non pro corollario, ut Respondentem sequamur, omniū præcedentium, sed eorum, quæ paulo ante disputata fuerunt, initium faciendo a verbis.

bū, quæ habentur fol. 3. nempe his, Iam quod nihil per se sit necesse, &c. censenda sunt. Hic enim incipit id demonstrare *Anonymus*, quod deinde illis verbis, Ex his quæ breviter fol. 4. concludit. Et quas præmissas argumenti *Anonymi* facit Respondens, eæ aut ratio sunt negatæ propositionis in argumento adversariorum, nempe Ecclesiam errare posse, aut sunt oppositio opinionis Pontificie (quæ est, quod notæ Ecclesiæ ex S. literis certè cognosci possint,) nempe posse æquè si locus cum loco conservaratur, omnia dubia in fide definiri. Ad alia multa, quantumvis respondere voluerimus, quomodo tam responderemus, nulla erat occasio. Sic scilicet ipse se intricavit Respondens.

Sunt autem quædam, quæ aliud agens protulit, ad quæ respondere operæ precium est. Primum agrè fert, se & suos, Pontificios appellari. mallet enim Catholicus appellari. Sed dictio ista Catholicus adeò ambigua est, ut alii etiam eodem fere jure, quo Pontificii, illam sibi venditent. Pontificiorum autem titulum nemo expedit, nisi qui Romanam sequuntur Ecclesiam: & jure illis debetur titulus Pontificiorum vel Papistarum, qui pro capite suo & religionis suæ agnoscunt Pontificem vel Papam Romanam. Agrè ferat Respondens vel doleat potius, se esse Pontificium; non, cum talis sit, Pontificium sese appellari.

Agrè etiam fert objici sibi, quod Pontificii cum urgentur, ad Ecclesiam confugere soleant, & ait: Quasi verò Catholici ex sola duntaxat autoritate

ritate Ecclesiæ, & non ex S. etiam literis dogmata sua probare soleant. *Purgando crimen.* Medz. se-
se ipsum gravius accusat. *Qui enim fatetur, se non ipsum ac-*
ex sola Ecclesiæ autoritate, sed etiam ex S. literis cusat.
probare sua dogmata, is fatetur, se non ex solis S. literis ea probare. At hoc est illud o*Respondens*, quod
prodit vos non esse veros Christianos. Ex solis enim
S. literis veri Christiani sua dogmata demonstrare
tenantur. Ecclesiæ autoritas hac in parte plane nulla
est. Scimus, vos etiam ex S. literis probare velle do-
gmata vestra, sed hoc invitifacitis. Probè enim ex-
perti estis hactenus, si controversia religionis Scrip-
pturæ testimoniis decidatur, vos causâ casuros om-
nino. Utimini igitur scripturis, quando vobis cum
iis res est, qui eas non intelligunt. Quando vero cum
aliis res est, qui eas intelligunt, tunc ad vestram il-
lam S. anchoram recurritis, Ecclesiæ judicio in in-
telligendis scripturis standum esse. Quorum plena
sunt omnia vestra scripta & sermones etiam fami-
liares. Actum esset jam pridem de vestra religione,
si ad S. scripturam, vel etiam ad sanctæ rationis truti-
nam resecaretur. Quam diu Patres vestri, quamdiu
concilia, quamdiu Papæ valent, & quamdiu homi-
nes absq; mente credent aliorum præjudiciis excœ-
cati, tam diu vobis aliquid spei supereßepotest religio-
nem vestram, non omnino interituram. Sed detegit
tandem & refutabit Spiritu oris sui Iesus Christus
omnes istas vestras erroneas opinationes, quibus ha-
ctenus aliquam Christiani orbis partem demen-
tam tenetis.

Præterea, ait Respondens, ex eo, quod Ecclesia in
quibusdam errare possit, que scilicet ad salutem non
sint necessaria, (quod affirmat Anonymus) non conse-
qui, Ecclesiæ cognitionem inutilem, vel non necessa-
riam esse. Sed nec ipse Anonymus id ex eo consequi vel
dixit, vel somniauit: sed tantum ex eo, quod Eccle-
sia errare possit in quibusdam, ait consequi, non esse
in religione standū simpliciter autoritate Ecclesiæ.
Hinc verò rursus, quod in iis, que ad salutē necessa-
ria sunt, vera Christi Ecclesia non erret, aut errare non
possit, Respondens cōcludit, Ecclesiæ autoritate standū
esse in sententia de Christi divinitate, de Spiritu
S. persona, de baptismo parvolorum, de veritate cor-
poris Christi in Eucharistia. hæc enim esse ad salu-
tem necessaria: & ideo necessare Ecclesiam inqui-
quirere & agnoscere. In qua sua deductione dupli-
corduplex. citer fallitur Respondens. Primum enim manifeste
pro concesso sumit, Pontificios esse veram Ecclesiam,
& ideo id sequendum in illis Christianæ religionis
particulis quas enumerat, quod ipsius Ecclesia senci-
at, quo nihil a veritate alienius. Deinde affirmat,
sententias, de illis, quas recenset, particulis Christia-
næ religionis, que hodie vigent inter Christianos,
esse ad salutem necessariis. Quod tamen eque fal-
sum est. Necessaria quidem est sententia & con-
fessio de divinitate Iesu Christi. Is enim, qui Christi
divinitatē negaret, Christum eum esse eadem operā
negaret, atq[ue] ita fidem in illū collocandam tolleret.
Salus verò extra fidem in Christum nulla hodie est.
Sed non est vera illa Christi divinitas, de qua hodie

nam acriter inter Christianos discepatur. Liceat enim diversi diversa de Christi persona sentiantur: nemo tamen est, qui veram illi divinitatem, quam nunc in omnes & omnia, solo Deo excepto, habet, detrahere audeat. Quam nihilominus respondens, & alii de Christi persona sententiam ad salutem necessariam esse autumant, ea error ipsius & aliorum est. Quandoquidem certum est, posse aliquem, licet in sententia de Christi persona, aliquo modo erret, in Iesum Christum credere, & eidem obedire; quod satis esse ad salutem consequendam testantur plurima scilicet literarum testimonia. Iuvat quidem ad salutem plurimum recta de Christi persona cognitio, sed tamen, ad eandem necessariam eam per se esse, nemo unquam probabit. Non posset igitur quidem vera Christi Ecclesia errare in afferenda vera Christi divinitate, interim vero in sententia de persona Christi errare facillime posset. An Spiritus sanctus persona sit, nec ne, hodie quidem inter Christianos controvertitur, & tacentur affirmantem sententiam plerique; quanquam qui contrarium sequuntur, rectius omnino sentiunt. Sed nam ad salutem necesse esse, credere Spiritum sanctum personam esse, multi quidem affirmaverunt, nemo vero hactenus probavit, nec probabit unquam. Idem ex baptismo parvolorum statuendum est. Hic sentit solos infantes baptisandos esse: ille, solos aduleros: int qui utrosque baptisari posse statuant: sed ad salutem esse necessarium, statuere infantes esse baptandos, hactenus nemo inventus est, qui probaverit.

Quinā Do-
ctores esse
debeant.

illi demum apti sunt, qui linguarum, in quicūs S. li-
teræ conscriptæ sunt, vel saltem mysteriorum evan-
gelicorum, quantum ad aliorum salutem procuran-
dam opus est, periti sunt, & totam vitam suam in
versandis S. literis consumunt, veraq; pietate aliis
præeunt.

Sed rationes audiamus. In ipsis enim, ait,
collationibus errari potest, quod docent
controversie inter Lutheranos & Calvini-
stas, & inter hos utrosq; & Anabaptistas, qui
tamen omnes gloriantur, se scripturæ loca
conferre. At ego, si experientiam in testimonium

Modus in-
quirēdi ve-
ritatem, est
collatio sa-
cerdarum li-
terarum.
Ecclesiarū
unio.

adhibere velimus, dico, per id quod hacten ab omni-
bus, qui a Papatu defecerunt, factum esse videmus,
satis superq; comprobari, verissimum hunc esse veri-
tatem investigandi modum, quem paulo ante ex-
pressimus, ex quibusdam scilicet clarissimis testimo-
niis tanquam ex certis principiis, una cum interpre-
tatione aliarum obscuriorum sententiarum, quid
de unaquaq; re statuendum sit, colligere. Omnia e-
nim, quæcunq; ad salutem erant scitu necessaria,
Deus benignissimus illis, qui hæc viā infiterunt, re-
velavit. Ea vero de quibus inter eos, qui a Papatu
defecerunt, adhuc durant controversie, talia sunt,
ut ad salutem omnia quidem conducant, alia minùs,
alia magis, ad eandem tamen necessaria omnino es-
se, nemo docere possit. Imò possent omnes illi, qui
a Papatu defecerunt, in unam coire Ecclesiam, si,
quæm latè pateat Christiana charitas, ii, quibus ali-
os docendi cura incumbit, intelligerent. Quod vero
non in

non in omnibus hactenus consentiunt illi , qui a Pa-
patu defecerunt, non ea causa est, quod erronea sit
ea via , quam nos existimamus , deducendi scilicet
veritatem ex clarissimis quibusdam locis , tanquam
ex principiis , sed haec primum quod nolint homines
isto modo veritatem deducere , nec conferant in o-
mnibus controversiis S.literas , sed semper ad eas ad-
dunt modò horum modò illorum Patrum aut etiam
Doctorum suorum autoritates . Deinde fit hoc etiam
singulari Dei sapientia , qui scilicet itares compa-
ravit , ut non omnes simul & semel omnia sciant ,
nec uni omnia pateant : interim verò nimis fremit
Satanas , & tantum non rumpitur, quod videt , ho-
mines eam viam invenisse , quā si insistant , omnes e-
jus technæ brevi cognitæ futuræ sunt . Injicit ergò
quas potest remoras , & per cuniculos animos eorum ,
qui sacra tractant , suffudit , ut inflati scilicet mul-
tarum rerum scientiā , aliis , quibus Deus plus revela-
vit , ne ad latum unguem cedere velint . Nam ad in-
telligendas res sacras , non tantum opus est eo , qui re-
cte eas doceat , & demonstret , verum etiam illo , qui
probo ea , quæ docentur & demonstrantur , animo re-
cipiat . Firmiter enim demonstrabant ex S.literis A-
postoli Iesum esse Christum , & tamen a paucissimis
illud recipiebatur . Fit etiam , quod homines inqui-
busdam sententiis sequendis vel defendendis tam
sunt pertinaces , ut licet ipsis solem in manu colloca-
tum afferas , tamen lucere negent , eò , quod nimis in-
veteratæ sint quædam opiniones , quæ canicie sua te-
ctæ tremendas sese & adorandis exhibent , & non

Causæ di-
scordia in-
ter Ecclesi-
as Evange-
licas.

I.

Contempt⁹
sacerarum li-
terarum.

II.

Dei confi-
lium.

Quid requi-
ratur ad co-
gnitionem
veritatis.

III.

Errorum
antiquitas.

*Impurus - Iniquus autem & impurus etiam est, eum ait,
Miedzyboz. Anabaptistas non cedere Evangelicis ingenio, erudi-*
*tione, studio, & illo, quo omnes Evangelici
 potissimum gloriari solent, spiritu, vel poti-
 us flatu: Spiritum scilicet, quem iactant Evangelici
 flatum potius appellandum censet, nimirum ut eos
 rideat, voce, que etiam in honestum aliquid signifi-
 care potest, ut hinc agnoscas hominem vel leviuscu-
 lum, vel audaculum. Certè spiritus illi, quos vos tan-
 zopere iactatis Pontificii, & quibus Patres vestros
 præditos fuisse contenditis, flatus nescio quales di-
 cendi sunt. Hos enim eis errores inflârunt, qui to-
 rius Christi religionis pestis fuerunt & futuri sunt.
 Si quis aliquem spiritum iactet extra Evangelium,
 eum toto cælo errare nos unâ cum Pontificiis affir-
 manus: Siverò quis spiritum Dei gloriatur, qui est
 Evangelium Iesu Christi, eum rectissimè facere ne-
 mo nisi mentis & pietatis inops inficias ibit, & qui
 hunc spiritum non gloriatur, is hoc ipso nomine in-
 dignus est, cui fides habeatur in iis, quæ ad religio-
 nem spectant.*

*Pergit argumentari respondens: Si res fidei
 controversæ per solam scripturæ collatio-
 nem definiri possunt, cur toties in Ecclesia
 illa prima ad concilia itum est? Cur Aposto-
 li Hierosolymam convenerunt, ut decerne-
 rent, essentné Ceremoniæ legis, cum fide
 Christi servandæ? Cur in causa Arii itum est
 ad Concilium Nicænum? Cur ad Ephesinum
 in causa Nestorii? ut de cæteris taceam. Sanè,
 sisuf-*

Si sufficit collatio, poterat tunc quilibet fidelis conferre loca, & quid sentiendum esset, cognoscere. Egregiam verò argumentationē. Pri- Miedzybor. mūm ita imprudenter loquitur, ac si concilium sit impruden- aliquid contrarium collationi S. literarum? Quasi ^{tia.} Concilia & verò in concilio aliquo non possint certè controversiae collatio nā definiri sola S. literarum autoritate? vel quasi in pugnant. concilio semper autoritas Ecclesiae, non verò ratio- nes ex S. literis petitæ vicerint. Certè illud concili- am in quibus humana autoritate aliquid statuitur, vel maledicta sunt, vel saltem in salutis negotio ne- minem onerare aut obligare possunt. Faxisit Deus, ut ad concilia pacata in negotio religionis hodie etiam eatur, & omnia bene haberent. Deinde ita audax Miedz: au- est, ut dicere non vereatur, in Ecclesia illa prima to- dacia. ties itum esse ad concilia. nam si per Ecclesiam il- lam primam intelligit solam Apostolicam, falsum est, sèpè itum esse ad concilia, quod quidem nos sciamus. Si verò per primam illam Ecclesiam intelligit eam etiam Ecclesiam, quæ & qualis fuit annos post Christum circiter 300, & amplius, primū nimis libe- raliter & tropicè primam illam vocat, quæ aliquot post Christi exaltationem seculis extitit. Deinde nimis falso illas Ecclesias, quæ tot post Christum se- culis fuere, cum illa prima Apostolica ita confert, ac si una esset. Cum concilium haberetur Hierosoly- mitanum, virginitas erat Christi Ecclesie illius te- nerrimæ: at cum concilia haberentur Nicena & a- lia, iam prostituta illa virginitas Ecclesie & mille modis constuprata erat ab Antichristo, & tantum Differenti ecclesiae A postolica sequentibu

Quod enim ait Respondens transfigurare se se
Satanam in angelum lucis, & posse aliquem pro spi-
ritu veritatis spiritu vertiginis agi, hoc totum ei nul-
lo modo metuendum est, qui normam S. literarum
recte sequitur, tum quod illa clarissima S. litera-
rum testimonia, quae unicuique etiam rudi homini
sunt intellectu facilissima, ei tanquam principia quæ-
dam erunt, quae firmiter tenebit, nec se ab eo, quod
expressè testantur loca S. literarum clarissima, ob-
sciorum locorum non apertis explicationibus di-
moveri patietur: tum quod Deus hujusmodi homi-
nem nunquam patietur ita labi, ut æternū pereat;
hæc enim ejus Providentie benignitas est.

Ceterum, quod ideo metuendum esse ait re-
spondens, ne spiritum vertiginis habeamus, quia re-
lictâ viâ novam nobis semitam invenerimus, ut sen-
tiamus, quod orbis Christianus ante Lutherum, Cal-
vinum, & ceteras alias (ut ille ait,) pestes ne somni-
avit quidem. Ad hæc sic habeat respondens. Nova
est illa semita, quam invenerimus, vel potius, quam
Deus nobis ostendit, si cum vestra ista via, quæ per
non pauca secula duravit, conferatur: at si eam, cum
illa via, quam nobis Apostolica describunt oracula,
conferas, antiquissima illa est, & ad prima respicit
Christianæ religionis primordia; vestra vero via,
quam in religione tenetis, est recens inventa, si cum
Apostolica eam conferas. Si enim vestra est vetus
illa, quid est, quod tantopere refugiatis ut vestra do-
mata examinentur & revocentur ad illam anti-
quissimam viâ, adeò, ut tantum nō peccare vobis iſi vi-
deatur

deatur qui id facere velit? Quod orbis Christianus ea, quæ nunc omnibus nota sunt, ante Lutherum Calvinum, & alios, ne somniantur quidem, hoc tantum abest, ut nos ab illorum doctrina, generatim loquendo, deterreat, ut potius hoc ipsum ad eam amplectendam nos exhortari debeat. Ante Lutherum enim & Calvinum orbis Christianus totus demens erat ab illo homine peccati & filio perditionis, qui est Antichristus, qui omnia & singula corporis religionis Christianæ membra conquassaverat, & eluxaverat ita, ut nihil sanum in toto inesset corpore. Quid igitur boni ex eo sperandum erat? Laus sit Deo, qui viris illis illustribus & divinis, viam ex istis salebris labyrinthis evadendi demonstrarit. Doce respondens, falsum docuisse Lutherum, Calvinum, & alios, si velis fidem ei denegari. Hoc enim, quod antè eos alii id non docuerint, nihil nunc quidem proficies.

Quæverò addit, curs. ab eo omissa fuerit tractatio questionis, quousq; se infallibilitas Ecclesiæ extendat, tum quia res hæc longiorem disputatio- Miedzyborski
nem requiret, tum quia non spectat ad præsens ne- tergiversum
gotium, Posterioriùs hoc jure ab illo dictum est nam tur
ad hoc, quod hic in 2 cap. Respondens tractandum suscepérat, planè id nihil pertinebat: at ad solutio-
nem argumenti, quod Pontificii nectere solent, cum
urgentur in quibusdam dogmatibus & ritibus, ma-
xime illud pertinebat. Hoc verò, quia non intelle-
xit respondens, ita ei dicendum fuit.

Corollarium illud, cuius antea fecit mentio-
nem

nem Respond. non ex iis, quæ ille putabat, sed ex aliis illatum fuerat. Frustra igitur putat respondens, se ostendisse, corollarium illud ex iis, quæ refutare conatus est, non consequi.

Cavillator
Miedz

Morosè respondens hujus cap. verba finit, dum ait, anonymum nullam habuisse rationem, cur tam abjectè de Ecclesia sentiret, quam Paulus columnam & firmamenum esse veritatis, non minus vere, quam graviter affirmavit. Non enim abjectè sentit de Ecclesia anonymous, nec quicquam in Demonstratione sua scripsit, unde idjure colligi possit; immò id scripsit, ex quo apparet, eum Ecclesiam magnificere tanquam rem divinam, & illud totum de Ecclesia fateri, quod Paulus de ea testatur. Nullam igitur causam habuit respondens, cùt tam gravitotiesca- lumnia premeret anonymous, nisi fortasse hac ratio- ne causam se suam adiuturum credidit, quod qui- dem apud imperitos rerum & improbos efficere po- teat, apud cordatos verò & pios nunquam. at horum non illorum judicium nos curamus.

Ad CAP. III. Responsio.

Error Mie-
zyb.

Hic primum erravit respondens, quod alterum hoc esse argumentum putat anonymi, quo demonstret, non necesse esse perse Ecclesiam inquirere, cùm tamen primum nullum fuerit, ut in initio cap. 2. docuimus. Deinde pecca-
vit etiam quod ita simpliciter ait, anonymous docere yelle Ecclesiam querendam & cognoscendam non esse.

alumnia
Miedz

esse, cùm tamen statim verba anonymi addat, in quibus ait, non esse per se necesse ut vera Ecclesia inquiratur. Quæ verba, quantum a respondentis verbis differant, omnes vident, videt etiam ipse respondens: sed animus veritati cedere adhuc nescius non permisit id scribere, quod res erat.

Iam verò videamus, quid ad anonymi rationem, quâ ostendit, non esse per se necesse inquirere veram Ecclesiam, respondens afferat. Ratio anonymi talis est. Ad salutem æternam consequendam, teste tota scriptura, satis esse servare Christi præcepta: unusquam autem scriptum esse, ut unusquisq; inquirat & nôrit, quænám sit vera Christi Ecclesia. Responsio talis est. Primum, cum Christi præceptis conjungenda fuisse præcepta Apostolica, conjungenda etiam fuisse Ecclesiæ præcepta, quibus propositionem argumenti petit. Deinde, Christum ait præcepisse, ut unusquisq; Ecclesiam inquirat, cum jussit fratrem delinquentem ad Ecclesiam deferre. quibus assumptionem infirmare nititur. Et tandem docet, rationi consentaneum fuisse, ut Christus præciperet Ecclesiam inquirere, quippe quod ad salutem esset summè necessarium: cum extra Ecclesiam nulla sit salus. Ad quæ sic respondeo. nullam habuisse causam, cur sic impeteret respondens verba anonymi, cùm apertissimè scripta extent non uno in loco S. scripturæ novi Fœderis, tam Injustè c in illa, quæ Christi verbis concepta describitur, quam p' Respo dens An in ea, quæ ab Apostolis promulgata fuit: ita, ut re spondens

ob. 12. 50. *Præcepta spondens dici possit reprehendere potius ipsum Ie-*
Christi & sum Christum & Apostolos, quam anonymū. Quod
Apostolorū enim nihilominus Apostolica præcepta, quatenus A-
postolica, pertinent etiam ad Christi præcepta, &
pro uno cum illis habenda sunt, quis est, qui vel per
somnium dubitare ea dere possit, cum Apostoli sint
Christi legati & toti ab illo pendeant? Quis, exem-
pli causa, cum Christus ait de Patre suo, manda-
tum ejus est vita æterna, velit ita Christi verba
quasi corrigere, & dicere, conjungenda esse man-
data Christi cum Patris mandato, nisi stolidus, &
verum divinarum parum peritus! nemo enim ne-
scit, Christi mandata hoc planè pertinere, quia
Christus Deo fuit subordinatus & ab eo missus.
Quemadmodum autem ad ostendendam Patris præ
Christo prærogativam, dicitur, Patris præceptum es-
se vitam æternam, Christi mentione non facta, licet
Christi præcepta ab hoc mandato Patris (si sub E-
vangelio considerentur, ut hic necesse est fieri, cum
Patris, quatenus Patris, mandatum sub veteri Fæde-
re nullum extiterit) diversa non sint: sic etiam ad
ostendendam Christi præ Apostolis prærogativam
jure dicitur, ejus præceptorum observationem satis
esse ad salutem consequendam, nulla facta mentione
Apostolorum, licet illi roti ad Christum spectent.
Quodverò alicubi in S. literis aequē requiritur obe-
dientia Præceptorum Christi ut Patris, quod in A-
postolis non ita sit, id ascribendam est summae illi
conjunctioni, quæ est inter Deum Patrem & Chri-
stum, qualis nullo modo est inter Christum & Apo-
stolos.

stolos. nec enim Apostoli cum Christo ita sunt domini populi Dei, ut Christus est Dominus populi Dei una cum Deo Patre. Itaque planè otiosum esset, conjungere Apostolica præcepta, quæ quidem ad mores pertinent, cum Christi præceptis, cum nihil Apostolus dicere aut præcipere potuerit, quod a Christo non præcipiatur.

Deinde dico, non opus fuisse conjungere Apostolica præcepta cum Christi præceptis, quod quædam præcepta Apostolica sunt, quæ non æquivaleant Christi præceptis, qualia sunt ea, quæ ad ceremonias spectant, de quibus ceremoniis nullum extet Christi præceptum. Exemplo sit, quod apud omnes Christiani nominis Professores in confessu est. Apostolorum præceptum erat, ne Christiani suffocato & sanguine vescerentur, quod cum Christi præceptis nullo modo conjungendum esse, ipse etiam respondens, ut fateatur, necesse est, cum jam pridem etiam Ecclesia Romana illud abiecerit, & jure quidem. Non convenit enim hoc præceptū ullo modo cum illa spirituali vivendi ratione, quam Christus in Evangelio prescripsit. Quod idem etiam de aliis quibusdā, quæ huic sunt similia, statui debet, licet hodie aliter de illis sentiant multi. Totum enim religionis Christi corpus in ea doctrina, quam Christus tradidit, perfectè continetur; nec quicquam ad illud revera Apostoli unquam addiderunt, sed tantum vel latius illud, vel apertius explicarunt, & in quibus id, quod Christus interdum generatim dixerat, per species considereret, prolixius, ubi opus fuit, exposuerunt.

Quatenus
præcepta A-
postolica
inæqualia
sunt Christi
præceptis.

Quod enim ad illud attinet, quod respond.
adduxit ex Epistola ad Corinth. ubi Paalus ait, Ego
præcipio, non Dominus, id non habendum est
pro aliquo necessario Apostoli præcepto, qualia sunt
reliqua ab Apostolis tradita. nam præceptorum Chri-
sti necessariorum ea est natura, ut hominem neces-
sariò obligēt, sub jactura eternæ salutis. Hoc verò, de
quib Paulus in loco citato agit, tale est, quod unicuiq;
facere licet aut omittere, quanquam præstabat illud
tunc facere propter instātes, (ut Apostolus ait) neces-
sitates: Simile scilicet illi, de quo Dominus dixit, Qui
potest capere, capiat, hoc est, Qui potest hoc præ-
stare, præstet. Capere enim hoc, hoc est, intelligere,
facillimum est, ideoq; etiam, si quis rem diligenter
inspiciat, Paulus ibi, de se, & illis, quæ Dominus
non præceperat, loquens, non utitur voce Præcipio,
sed tantùm dico, quod idem est cum eo, quod iterum
25. 40. ait, sententiam do, vel existimo. Itaq; apparet, ha-
rum & similiū sententiarum Apostolicarum pla-
nè nullam fuisse habendam rationem, cum ea ad sa-
lutem necessariò nullo modo pertineant.

Quod si respondens præterea alia etiam Apo-
stolica præcepta esse credit, illud nihil aliud est,
quam inventum Pontificium. Hi enim eò audacie
processerunt, ut dicere non erubescant, multa ea-
rum, quæ in ipsorum Ecclesia nunc in usu sunt, quia
aliter persuaderi hominibus, ut ridicula & anilia
non possunt, ab Apostolis esse tradita, eaq; tanti esse
ponderis, quanti illa sunt, quæ scripti eorum com-
prehensa sunt. Qua de re multa multi antea disse-
ruerēs

abusus Apo-
stolice au-
toritatis,

ruere; nostro verò seculo Bellarminus inter alios, cui etiam in quibusdam iam abundè responsum est: ad reliqua, si quæ sunt, deinceps, Deo volente, ut credo, respondebitur. Et nihil dubito, quin hūc etiam respondens aliquo modo respexerit, nisi fortassis alio, quam omnes ante eum, modo, agat. vix enim credibile est, Pontificium hominem allaturum fuisse instantiam de Apostolicis præceptis veris, & quæ Apostolica esse nemo non diffiteretur, ut potè quarum potissima pars ex diametro cum illorum traditionibus pugnat, & quorū illi veram autoritatem non nisi coacti afferunt: volentes scilicet potius, illam tribuere suæ isti Ecclesiæ. Et hæc de Apostolorum præceptis.

Hoc verò, quod respondens ait, conjungenda etiam fuisse cum Christi præceptis, præcepta Ecclesiæ, si quis scilicet salutem consequi velit, ab animo tia anima planè impotenti profectum est, qui non potuerit se continere, quin Pontificiam autoritatem & suam Ecclesiam tam intempestivè obtruderet. Quenam verò est illa Ecclesia, cuius præcepta cum Christi præceptis conjungenda sint, si quis salutem consequi velit? Ait respondens. Nam qui hanc non audiverit, debet esse nobis tanquam Ethnicus & Publicanus. Quis unquam, nisi excæcatus ista auctoritate Pontificia, hoc inde extruere ausus fuisse? Quia Ecclesiam audire jussit Dominus, hinc sequitur, eam habere præcepta diversa a Christi præceptis? Quid si Christus velit Ecclesiam eatenus audiari, quatenus ea præcipit, quæ ex ipsius præceptis summa sunt?

Defensionis tractatus

36

ra sunt, vel ab iis non aliena, quid hic objiceret respondens? Apage istam Ecclesiam, imò Ecclesiam hanc non appella, sed conſpirationem hostium nominis Christi, quæ aliquid ad salutem pertinens statuere & hominibus imponere audeat, quod Christus non præcepit, & quod præceptis illius non contine-

Quatenus Ecclesia audienda est Ecclesia, sed Christi, eaq; eate-
nus tantum, quatenus ea præcepit quæ Christus, ali-
oquin ne dum Ecclesia, sed ne angelus quidem audi-
endus. Ecclesia non dicam falsa, qualis est vestra
Pontificia, sed ne verissima quidem facultatem ul-
lam habet quicquam statuendi, vel hominibus im-
ponendi, quod salutem eorum concernat. Et nedum
ut in rebus ad salutem spectantibus autoritatem i-
stam Ecclesia habeat, sed neq; in aliis levioribus e-
am potestatem habet necessariò. Vnum habemus
magistrum. Omnes nos sumus fratres. Quicquid au-
toritate Christi interposita effici non potest, illud to-
tum Deo & tempori committendum est. Religio e-
nim vult persuaderi, non vi obrudi; & in Christianum
hominem, quatenus Christianus est, hoc est,
quoad conscientiam, nemo nisi solus Christus & De-
us habet imperium. Pudeat igitur nostrum respon-
dentem, sue istius tam ineptæ instantiæ, de præce-
ptis Ecclesiæ cum Christi præceptis conjungendis, &
hæc aliis dicat non nobis, qui, per Dei gratiam, didi-
cimus, solius Iesu Christi præcepta observari debere.

Sed videamus alia. Christus, ait respon-
dens, unumquemq; jussit fratrem delinquen-
tem deferre ad Ecclesiam. Ergo præcipit, ut
Ecclesia

Ecclesia queratur & cognoscatur. Nam quomodo quispiam deferret nomen fratris ad Ecclesiam, nisi eam cognoscat? quomodo autem cognoscet, nisi prius, ubi sit, investigaverit? Hec ille. At ego nego ex tota hac ratione illud tamen consequi, ut eam nequit respondens, Christum præcepisse, ut aliquis Ecclesiam inquirat & cognoscat. Cum enim præcepit Christus, ut fratrem in nos delinquentem ad Ecclesiam deferamus, jam presupponitur, constare ei, qui delaturus est, esse Ecclesiam. Nam si id non constaret, quomodo ei præcipi posset, ut ad eam alium deferret. Præterea fieri posset, ut aliquis nunquam occasionem haberet deferendi aliquem ad Ecclesiam; vel, quia cum omnibus pacem servet, vel quia injurias remittere nōrit, & sic ei præcipi non posset, ut Ecclesiam inquireret. Præceptum enim hoc conditionale est, quod non, quidper tuo fieri oporteat, & aliter fieri non possit, docet; sed quid fieri possit & oporteat, si aliquis ab alio offensus, vel injuria affactus, non possit solus, vel cum aliis etiam paucis testibus delinquentem ad frugem perducere. Breviter, locus hic tantum docet, quid hic, qui scit Ecclesiam esse, facere possit, vel etiam debeat, cum eo, qui se offendit, vel injuria afficit: non verò quid illi, qui nec scit Ecclesiam esse, sit faciendum, nempe Ecclesiam querendam.

Denique, quod ait, rationi suisse consentaneum, ut id Christus præciperet, quippe, quod ad salutem esset summè necessarium.

Sensus loci
Matth. 18.

Peit prin-
cipiū Mie-
dzib.

probandum erat respondenti, ad salutem summè esse necessarium, inquirere, quænam, & apud quos sit Ecclesia. Hoc quia non facit, sua mole ruit id, quod rationi consentaneum esse affirmat. Nam ex eo, quod addit, extra Ecclesiam non esse salutem, si verum sit, tantum illud sequitur, necesse esse, ut aliquis sit in Ecclesia, non autem ut inquirat, quænam & apud quos sit Ecclesia. Ad id vero, ut quis sit in vera Christi Ecclesia, satis est, si doctrinam Christi salutarem teneat eiq; obediatur: & quicunq; hoc facit, is hoc ipso in Ecclesia est. Probatio, quam assert Respondens, ejus, quod extra Ecclesiam non sit salus, valde inepta est, ut suprà etiam docuimus. Petrus enim tantum ait, baptisma quoddam, cuius figura erat arca Noë, nos servare, nullam Ecclesiæ mentionem faciens. Et etiamsi tandem D. Petrus arcæ Noë opponeret Ecclesiam, (quod tamen est falsissimum) tamen ex eo nihil aliud sequeretur, quam neminem servari posse, qui non sit in Ecclesia, quod rem controversam minimè probat, propter causam paulò ante allatam, quod, scilicet in Ecclesia aliquis esse possit, etiamsi de ea non inquirat, modò veritatem salutarem teneat & profiteatur.

Qua nostra response, cum videret se premi respondens, parat ad eam objectiones suas. Sed verba Anonymi prius recitabimus, quæ talia sunt: Nonné apertè constat, si quis salutarē Christi doctrinam teneat, istum consequenter vel agniturum statim, quinam sint ii, qui similiter doctrinam Christi salutarem habe-

ant

ant ac profiteantur, quos supra diximus esse veram Ecclesiam, vel ut agnoscat non modo per se, sed ne ex consequenti quidem esse necessarium. Quid enim, quod ad cognitionem attinet, illi deesse potest ad salutem æternam necessarium, qui salutarem Christi doctrinam teneat? Quod si dicas ad salutem necessarium esse, ut quis sit in vera Christi Ecclesia, & propterea necessarium esse, ut veram Christi Ecclesiam inquirat & agnoscat, negabo consequentiam istam, nam simulatque quis doctrinam Christi salutarem habet, is jam vel re ipsa in vera Christi Ecclesia est, vel ut sit, non habet necesse inquirere, quænam sit Christi vera Ecclesia. Id enim, ut dictum est, jam novit. Quæ verba ideo repetimus, ut tanto melius constaret lectori, jure tam audacter respondens eis occlamitet, dum ait: O Deus bone, quot sunt hic errores! rot ferè quot verba. Verborum & minarum sat. Videamus pondera argumentorum. Mitto, ait, nullum de salutari doctrina posse esse certum, nisi ex testimonio Ecclesiæ. Sanè & ego etiam illud mittam, si tria verba dixerim. Gravissimi Error Mi
mē scilicet errare, adeoq; in sacras literas injurium dziboz. & contumeliosum esse eum, qui id affirmat; & non Pontifici considerare, longè alia eaq; firmiora esse, quam testimoniū Ecclesiæ (si modo hoc aliquid ad rem facit) rum gra-
vissimus. ex quibus aliquis posset certus esse de salutari do-
ctrina. Quem errorē, si unquam demonstrare co-

nabitur respondens, dabitur opera, ut agnoscat, il-
lum multò etiam graviorem esse, quām nunc fortas-
se alicui videatur. Inrerim hoc adversariis con-
siderandum proponimus. Non ideo primitū sacras
literas pro veris habitas fuisse affirmamus, quia Ec-
clesia illa primitiva, quæ tempore Apostolorum ex-
titit, eas aliū tradiderit, vel veras eas esse, iudicio
suo deprehenderit; nec ex testimonio Ecclesiae un-
quam per se peperdit sacrarum literarum veritas.

Hac enim ratione fundamentum Apostolorum esset
Ephes. 2.2. Ecclesia, cùm nemo nesciat, quòd Apostoli sint fun-
damentum Ecclesiae. Imò si quid est, quod apud ho-
mines perspicaces suspectam reddere sacrarum li-
terarum veritatem posset, hoc esset, si ea penderet a
testimonio Ecclesiae: Sed ideo habitæ sunt ab initio
pro veris sacræ literæ, quòd Ecclesia testata sit, se cer-
tò rescivisse, quòd ab Apostolis eæ conscriptæ essent.
Iā enim tunc inter omnes constabat, id, quod ab A-
postolo cōscriptum esset, non posse non esse verissimum.
Scientia igitur hæc tantum, & aliud nihil Ecclesiae
tribuendum est, illi scilicet primitivæ. Hæc enim so-
la certò rescire potuit, an Evangelia & Epistola, quæ
tunc circumferebantur, essent Apostoli illius, cuius
esse credebantur. Et hæc caussa etiam est, cur quæ-
dam Epistola nō statim sint receptæ, quia scilicet non
statim rescritum sit, an essent Apostolicæ, non vero,
quòd Ecclesia judicaverit eas veras esse. Quomodo e-
nim id non reciperent Christiani, quod certò consta-
bat esse ab Apostolo Christi conscriptum? Hæc etiam
caussa est, cur quædam, quæ vocant Evangelia, nempe

Thomæ,

Thomæ, & similia, recepta prorsus nō sint, quia nunquam rescribere potuerint istius temporis homines, ea esse Thomæ. Quomodo enim id, de quo constaret, quod Thomæ Apostoli scriptum sit, illi rei scere audent, quorum Thomas, Apostolus Magister & Doctor, imò etiam fundamentum ab ipso Christo constitutus erat? Hoc ita obiter indicato, redeamus ad rem.

Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis omnes credimus, sed non Pontificiam. Illa enim est columna & firmamentum omnis erroris. neq; veram etiam Ecclesiam ita esse columnam & firmamentum veritatis credimus, ut si Ecclesia non sit, non constituturum sit, quoniam sit doctrina salvatoris. eatenus enim Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, quatenus in ea veritas cœlestis quasi requiescit, & suum habet domicilium: idq; iterum non de omni veritate, sed de certa, nempe salvatori, intelligendum esse; articulus in Græco codice ad vocem veritatis additus ostendit. Ecclesiam vero esse omnium fidelium magistrum, hoc tuum est, o respondens, oraculum, vel tuæ potius Ecclesiæ, quæ ipsa sibi hoc arrogat, cuius eam tandem pudebit. Error Miedz. Quis Apostolorum unquam ita locutus est? ex quo sacrarum literarum testimonio tale enunciatum vel probabiliter colligi potest? Et tamen respondens ita simpliciter, & nudè illud posuit, ac si ita certum esset, ut certum est, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis; & si verissimum esset, quid hoc ad Ecclesiam Pontificiam, nisi probetur eam esse veram

ram Christi Ecclesiam? Sed nunc misso eo, quod etiam se mittere ait respondens, illa videamus, quibus tot ferme errores, quot verba in nostra illa demonstrationis particula, contineri affirmavit.

Illud, ait, quis tibi concederit, eum, qui salutarem doctrinam habet, eo ipso esse in Ecclesia? Falsum scilicet esse ait id, de quo ita querit, eum qui habet salutarem doctrinam, eo ipso esse in Ecclesia. Id verò quomodo probat? Ita. Quid schismatici, qui nondum hæresi aspersi sunt, nonnē doctrinam istam salutarem habent, & tamen in Ecclesia non sunt? ut & Augustinus docet, & ratio ipsa convincit. Quomodo enim in Ecclesia sunt, a qua se segregant? Quomodo sunt in corpore Christi, cum nec cum capite, nec cum membris illius, ullam velint habere communionem? Hoc ciné est illud, quod tam pomposè jactitatbat respondens, vel initium saltem illorum tot errorum? Evidem vix aliquid ineptius ad excipiendum afferri potuisse persuasum habeo, & nihil aliud sunt omnia hæc verba, quam ex hominis Fontificii cerebro profecta figmenta. Primum putat Respondens, se rem habere cum illis, qui agnoscunt istam illius Ecclesiam Pontificiam pro vera Christi Ecclesia, & nefas esse credunt, ab ea vel tantillum discedere. Deinde vult nescio qua autoritate, aut præsumptione, ut idem judicium sit nostri omnium de aliis, quos ipsius Ecclesia habet pro schismaticis, quod istius est Ecclesiae. Premit porrò nos sola autoritate Augustini, quos tam

Miedzib.
errores.

men benè novit Augustinum eatus tantum recipere, quatenus ejus dicta cum sacris literis conveniant, alioquin tanquam humana respuere. Itane disputatur inter eos, qui veritatem inquirunt? Hæcne est ratio agendi cum adversario? Deponat respondens personam Pontificii, saltem mente, & cogitet, nos, quia negamus ipsius Ecclesiam esse veram Ecclesiam, nihil recipere, quod ipsius Ecclesia in salutis negotio, vel ipsius etiam Doctores affirmant, vel etiam de aliis statuunt, & quam ridiculum se exhibeat, ipse animadvertis. Nonné enim ridiculus esset Christianus homo, qui disputaturus cum Iudeo, Novi Testamenti testimonia congereret, & Apostolorum autoritate eum obrueret, vel etiam Veteris Testamenti testimonia eo modo allegaret, quo Apostolos ea allegasse videmus, & veller eum hac ratione quasi premere & adigere, ut fidem sibi haberet, nihil interim curans, quod apud Iudeum omnia ista suspecta sint, & pro incertis ab illo habeantur? An non patius, si aliquid efficeret vellet, eo modo & ratione cum eo illi agendum esset, que utriq; parti probaretur? Sic etiam planè ridiculus est respondens, dum nos Ecclesiæ suæ autoritate & factis permit, & credit, se rem benè transegisse, si quid Ecclesia sua faciat, enumeret, non verò quid Ecclesia vera facere debeat, aut faciat & doceat. Tali omnino modò nobiscum agendum esset, qui & vobis & nobis probaretur. Et quemadmodum hactenus nihil in conversione Iudeorum ad Christianam religionem profectum est, quod isto modo cum eis processere o-

mes, qui eorum saluti studere videbantur: ita etiam nullus ex eo fructus unquam sperandus est, nisi isto modo agere nobiscum desinant Pontificii. Nos enim Ecclesiam Pontificiam, si scripturis credere volumus, pro regno Antichristi; Doctores ejus pro seductoribus potissima ex parte non habere non possumus, & proinde facta ipsorum aliena a Christiana religione & pietate esse contendimus.

De schismaticis.

Vt verò ad hanc exceptionem aliquid respondeamus, nonne opus est veram esse Ecclesiam, ubi quis alium schismaticum pronunciare velit? Si igitur non sit vera Christi Ecclesia, Ecclesia Pontificiorum, quomodo ea alios jure schismaticos appellare potest? nam a falsa Ecclesia desciscere religio est & pietas, & schisma summoperè laudabile. Et qui nunc habentur a Pontificiis pro schismaticis, an tales sint, definire nemo potest, nisi prius doceat, se salutarem Christi doctrinam tenere, & veram esse Ecclesiam. Ipsi sanè schismatici, qui nullare cedunt Pontificiis, vicissim Pontificios habent pro schismaticis, vel etiam pro graviter errantibus; & si verum fatendum est, illud ipsum, cuius causâ potissimum & principalius schismatici tales a Pontificiis nominati sunt, spississima veritas est. Itaq; erravit & peccavit gravissime Ecclesia Pontificia, quod hanc veritatis particulam respuerit, & eos, qui illam profitentur, pro schismaticis habeat. Et si vera fuerunt Christi Ecclesia Pontificii, non debuerunt, nec etiam debent, eos ab Ecclesia segregare, qui propter conscientiam (ut scriptura loquitur) Dei, aliter de re quadam sentiunt.

riunt, licet enim tales non sint in Ecclesia Romana, sunt tamen in Ecclesia Christi, quamdiu salutarem doctrinam non abjiciunt. Nec refert, quod ipsi met schismatici nolint agnoscere eos pro Christi Ecclesia, a quibus se segregant. Aut enim errant in eo, aut recte faciunt. Si errant, ferendi sunt tanquam infirmi, & tamen tanquam vera Christi membra, hic enim error non potest eis adimere salutem necessariò, nisi fortasse aliud accedit, ut plerunque sit, quod eos vitâ æterna privare possit: nempe odia, con-vicia, quæ ex mente Evangelii homicidia sunt. Si recte sentiunt, alii potius culpandi sunt, a quibus il-lise segregant, quam hi, qui se segregant. Præterea idem schismatici, quos ita appellat respondens, quamvis in eo, cuius causa schismatici a Pontificiis proclamantur, non ita errent, ut salus eorum per-eliteatur necessariò: tamen aliis de causis, in quibus Pontificiis pares sunt, quæ cum salutari Christi do-trina non convenient, prorsus habendi sunt pro fal-sis Christianis, & Ecclesia eorum pro æquè falsa atque Pontificia. Omnia enim ferè, quæ in Ecclesia Roma-na vigent, vigent etiam in Græca, paucis exceptis, quæ potius ceremonias spectant, quam ipsam natu-ram religionis. Ii, qui respondenti sunt schismati-ci, nobis sunt pares Pontificiis, ita ut ludere nobis-cum videatur respondens, dum eos nobis obtrudit pro schismaticis, qui respectu suæ Ecclesie tantum tales sunt; respectu verò ipsius veritatis, sunt ipsissimi hæretici unâ cum Pontificiis.

Quod air, Schismaticos non esse in cor-pore

pore Christi, quod nec cum capite, nec cum membris illius ullam velint habere communionem, idem sapit, quod præcedentia. nam qui schismaticus est, is non deserit aliquam Ecclesiam, quam putet esse veram, quod esset, nolle cum veris membris Christi habere communionem, sed eam, quam deserit, ideo deserit, quod eam falsam esse credat. Itaq; non vult habere communionem cum membris Christi falsis, ex suo sensu. Loquor nunc de schismatis in genere. Quod vero ad eos attinet, quos respondens habet pro schismaticis, illi quidem ita regerere possunt, ut dixi, respondenti, & ita se defendere adversus Romanam Ecclesiam: sed tamen re ipsa nihil proficiunt. nam non propterea illi sunt vera Christi Ecclesia, quia Pontificii sunt falsa: immo cum illis falsa sunt Ecclesia, cum in natura religionis idem sentiant, quod Pontificii. Illud vero quod de capite addit respondens, si de Christo intelligatur, planè falsum est, schismaticum nolle agnoscere caput Ecclesiae Christum. Pugnant enim inter se, doctrinam salutarem Christi tenere, & Christum pro capite nolle agnoscere. Si vero de Papa (ut verissimile est) id respondens intelligit, quod hoc ad religionem? Itane perficit & frontis semper & ritus Pontificii, ut vos non pudeat Pontificem vel strum Romanum pro capite Ecclesiae Christi venditare? Non mirum esset ita loqui respondentem, nulla adhuc veritatis divinae cognitio hominibus iuxisset, ut ita scilicet omnibus imponeret. Nunc vero posteaquam tot hominū myriades caput illud reje-

cerunt

cerunt, quomodo tam audacter iterum obtruditur
& quid mirum est, schismaticum rejicere caput hoc,
nempe Papam Romanum, cum credat caput illud
gravissime in multis errare?

Vidimus hactenus, quid excepit ad nostram
demonstrationis particulam supra positam respon-
dens, in qua quot sint errores, nondum videmus.

Videamus alia, an fortassis inde sit appariturum,
tot esse in illis errores, ut antea respondens dixerat,
quot sunt verba. Pergit igitur, & dicit. Quod
autem ait, eum, qui salutarem Christi do-
ctrinam profitetur, non necesse habere in-
quirere Ecclesiam, quippe quam novit jam.
novit autem, quia facile est similes sibi & ea-
dem doctrina imbutos cognoscere, id ita
falsum est, ut refutatione non indigeat. Ma-
gnifica iterum promissio. audiamus vero probatio-
nes, quibus tanta falsitas evincatur. Nam, ait,
quæro ex te, nonne vos omnes, qui Evange-
lico nomine censemini, salutarem doctri-
nam vobis arrogatis? cur ergo vos non co-
gnoscitis mutuo pro Christi Ecclesia? Cur
Lutherani Calvinianos ex Ecclesia sua ex-
trudunt? Cur vicissim Calviniani Lutheran-
os? Cur alii alios diris devovent? Cur utri-
que illi Anabaptistas tanquam pestes aver-
santur? Sanè, si ita est, ut dixisti, agnoscere
vos deberetis, & unam omnes conficere Ec-
clesiam, quod non fit, ut clarum est ex tantis
odiis, quibus ardetis inter vos, &c. De-
monstrat

Miedzib. monstrat igitur respondens rem propositam ex eo, ex abusu quod hodie illi, qui salutarem doctrinam sese habere iudeant, non agnoscant pro vera Christi Ecclesia dicat. eos, qui tamen eandem doctrinam profitentur. At non erat res ipsa cum abusu confundenda. Non enim ex eo quod sit, sed quod sieri possit & debeat, res haec aestimanda est. Possunt enim facillime, Diaboli astutia id agente, homines eò perduci, ut aliquid faciant, quod facere minime deberent. Fieri namque potest, ut illi, qui propter doctrinam salutarem, quam profitentur, Ecclesia Christi vera sunt, nempe asperatibilis, eidem veritati non obedient, ut plurima exempla Ecclesiarum Apostolicarum testantur, quae procul dubio veritatem tenebant & profitebantur, & tamen a Christo & Apostolis gravissime reprehendebantur, quod multorum peccatorum habitus essent adhuc implicati, & subinde serio monebantur, ut vitam dignam vocatione sua & Evangelio gererent. Non omnis enim, qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlo est. Certo igitur certius est, eum, qui salutarem Christi doctrinam intelligit, statim agnoscere posse, quænam sit Christi vera Ecclesia, nempe eos, qui eandem doctrinam profitentur, & proinde non opus habere inquirere, quænam sit Ecclesia, si scilicet salutari doctrinæ obediatur.

Hic vero unum faciendum est non minimi momenti, ut scilicet ostendatur, quibusnam in rebus consistat Christi doctrina salutaria, quæ ad constitutandam

endam ejus Ecclesiam satis sit. In hoc enim hodie erratur a plerisq;. Conati quidem sunt viri eruditione & pietate præstantes illud definire: sed tamen hallucinati sunt ea in re quidam gravius, quidam levius. Nos, ut antea diximus, in paucissimis eam sitam esse credimus, nempe in vero cultu & adoratione Dei & Iesu Christi, & omnium honorum operum, in primis vero charitatis studio. Quæcunque doctrinæ igitur planè non permittunt, ut ritè colatur & adoretur Deus ille unus Pater, & Filius ejus Iesus Christus, & ut vera pietas exerceatur, eæ planè habendæ sunt pro contrariis doctrinæ salutari, quales sunt, doctrina de cultu imaginum, sanctorum, virginis Mariæ, hostiæ sacramentalis, nimia illa Papæ Romani reverentia, verbi non scripti, & traditio num Ecclesiasticarum observatio, & si quæ sunt alia his similia, vel ex his dependentia. Quæ vero illud, quod ante diximus, permittunt, illæ tolerandæ sunt, non quidem ita ut approbentur, sed ita tamen, ne propterea concordia & conjunctio fraternitasq; Christiana rumpatur. Laborandum est, annitendum est, desudandum est, ut omnes quam rectissime de omnibus Christianæ religionis capitibus sentiant, sed non est illud via persequendum, nec odio sunt habendi illi, qui non statim patiuntur sibi id persuaderi, quod nobis videtur. Ita enim legimus Apostolos factitasse, et, dummodo in illis essentialibus Christianæ religionis capitibus consentirent fideles, reliqua eos tulisse, & tempori maturanda reliquisse, apertissime videmus. Hoc quia hodie non sit, hinc est, quod

Quæ sit do-
ctrina Chri-
sti saluta-
ris.

Progressus
in revelan-
da verita-
te.

Christi Ecclesia in tot seuntas dissecta est, quæ tamen jure unā Ecclesiam confidere possent. Revelarat Deus hominibus primitus ea, quæ salutem necessariō, si abjecta non fuissent, sustulissent. Revelavit postea per alios plura, quæ licet non necessariō salutem adimendi vim haberent, poterant tamen sensim & pedetentim homines in illos ipsos errores rursus concicere, ex quibus vix demum emerserant. Revelavit deniq; & revelat Deus ea etiam, quæ, licet non apertere, tamen certo modo, verum Dei & Iesu Christi cultum obscurant & obtenebrant, & a vera pietate homines abducendi vim habent non minimam. Nec mirum. non enim simul & semel ista ab Antichristo conficta erant, non simul & semel etiam omnia instaurari potuerunt: propter hominum scilicet captum, qui, si ex tantis tenebris intantam lucem statim ab initio educti fuissent, excœcati potius, quam illustrati fuissent.

Hic igitur, dum sic Deus Ecclesiam suam purgat ab omnibus maculis ab Antichristo ei aspersis, iste juratus generis humani, & in primis fidelium, hostis Satanæ, nihil non tentatum relinquit, quo, quia opus illud divinum impedire nequit, impedire tamen conatur, ne ad eum effectum, quem Deus si-

Arees Dia-bi propositum habet, perducatur. Præterquam e-
boli in cur- nim, quod eos, qui veritatis sunt professores, aliis
su veritatis retardando. reddit exosíssimos, inter illos ipsos etiam semina si-

I. multatum, ambitionis, contentionum, odii, superbiæ, jacit, ut ii, qui veritatem salutarem profitentur, ei-
dem tamen parum recte obediant, & ita illis, a qui-
bus

bus jure defecerant, causam præbeant ridendi illam veritatem. Quod dum Deus permittit, ostendit quidem, quæ sit natura & proprietas religionis, nempe ea, ut homo sponte sua Deum colat & ei obediatur; & quod religio ea non sit, ad quam quis cogitur: in iudicia Di-
rim verò nō vulgarem de illis, qui veritatem rident, vina.
pœnam sumit, augendo scilicet occasionem scandali, & ita eos in cœcitate obdurando. Non enim quid aliqui professores veritatis faciant, curare, sed veritatem recipere, & secundum eandem vitam conformare, & aliis ad idem faciendum autores esse debebant. Deinde verò hoc etiam agit Diabolus, quod jam subtilius aliquid est, quod eos, qui veritatem divinam paulò, vel etiam multò rectius intelligunt, quam alii, inflat. Scientiæ enim hoc est adjunctum commune, alios præse contemnere, qui tamen a Deo ita etiam illustrati sunt, ut, si id, quod acceperunt, teneant, servari possint. Rursus illos, qui minus intelligunt rerum divinarum, ita accedit, ut alios, quos scilicet ratione superare nequeunt, superare velint condemnando, & pro blasphemis eos proclamando. Quod vitium etiam in ipsis Apostolicis Ecclesiis inventum fuisse, docet 14. caput ad Rom. & ad Cor. 8. & alia loca sacrarum literarum. Hoc, hoc, illud est, quod hodie Satanæ inter eos, qui se a Pontificia veletiâ a Greca Ecclesia segregarunt, unicè agit & urget. Quo fit, ut illi, qui salutarem doctrinam Christi profitentur, & secundum eam vivere annituntur, quia in aliis, quæ salutem per se nec admere nec conferre possunt, diversum ab aliis senti-

sentiunt, spernantur & condemnantur; cum illis verò, qui nulla vera virtus puritate & innocentia ornati sunt, imò etiam in quibusdam vitiis harent, fraternitas colatur. Sed & hanc fucatam religionem Deus tandem detegit, & istarum inimicitarum finem clementer faciet.

Hoc tibi respondens considerandum proponimus, ut agnoscas pro tua eruditione & ingenio, nō in eo tantum nobis cū Evangelicis convenire, quod Ecclesiam Romanā, quatenus scilicet Romana Ecclesia est, odio habeamus (quis enim odio non habeat ea, quae homines in contumeliam Dei & ipsius Iesu Christi credunt et faciunt?) sed in ipso fundamento fidei nobis cū illis convenire. Fidei scilicet, non quatenus pro confessione accipitur, sed pro eo modo & via salutis, quae in Evangelio præscripta est, & quâ Deus nos justificare tandem constituit. Colitur ab omnibus nobis, qui

Ecclesiæ,
quæ sunt
extra Papa-
tum, in fun-
damento fi-
dei conve-
niunt.

vestræ Ecclesiæ valediximus, ritè & secundum ipsam Evangelii vocem, Deus & Iesus Christus: Veræ pietatis norma ex solis sacris literis petitur, & secundum illam vivere ab omnibus quidem annitendum esset; sed, quia hoc ab aliis non fit, danda est primum opera, ut ista virtus, quæ homines contraxerunt, emendentur, & insanabiles tandem ita castigentur, ut Apostolica fert doctrina, ut indigni, scilicet fraternitate & communione Christiana habeantur, quos, etiamsi veritatem salutarem profiteantur, eadem tamen vobiscum manet infelicitas & pernici- es, qui eandem religionem ignoratis vel respuitis.

Quæ verò objicis, ut ostendas nobis, qui a ve-
stra

stra Ecclesia secessimus, in fundamento fidei non convenire, in eo una cum aliis non leviter erras. Divinitas Christi pertinet quidem ad fundamen-
tum fidei: At non est Christi divinitas sita in aliqua de ipsius persona opinione, sed in certa persuasio-
ne de eo, quod Iesus Nazarenus nunc in cælis de-
gens, absolutam in omnes Angelos & homines, &
omnia quæ in cælo & in terra & sub terra sunt, ade-
oꝝ in ipsum cælum, & terram, & infernum, nulla
re, (nisi solo Deo) excepta, potestatem habeat, quod
idem Ecclesiæ suæ præsit, dona spiritualia & ter-
restria dare eidem posset, eam regat, defendat, & tan-
dem eandem ex mortuis resuscitaturus, & omnes
tam vivos, quam mortuos judicaturus sit. Hæc de-
mum vera Christi divinitas est, quam qui non con-
fitetur, nomine hoc augusto Christiano, indignus
planè, & pro Iudeo censendus est. In hoc autem o-
mnes, quotquot Ecclesiæ Romanae valedixerunt, ita
consentiant, ut ne in una quidem syllaba dissentiant.
Baptismum parvorum ad fundamentum fidei per-
tinere, a quibusdam quidem creditur: sed erratur,
tum in eo quod parvuli baptizantur, multò verò
magis in eo, quod idem ad salutem necessarium es-
se, creditur. Qua de re, non est nunc plura dicendi
locus. Pro re indifferenti planè habendus est iste ba-
ptismus. De præsentia corporis Christi in Euchari-
stia quod quidam opinantur, id ipsorum hac in parte
ignorantiæ tribuendum, & pro reliquo quibusdam
fabularum istarum Pontificiarum habendum est.
Dissentiant igitur in hisce rebus: dissentiant in aliis

Quæ sit ve
ra Christi.
Divinitas.

Sententia
de Bapti-
simo.

etiam plurimis ii, qui a Romana Ecclesia defec-
runt: si perpetua inter eos lis & contentio, nisi o-
ffendat respondens, ista, de quibus contenditur, ad
salutem esse necessaria, non ipsorum opinione (falsi
enim possunt & falluntur) sed ipsaratione, nihil a-
git. Iam enim ante ostensum est, in ipsa Apostolica Ecclesia illud idem accidisse, ut quidam aliqua do-
gmata ad salutem necessaria esse crederent, & ea
de re multum cum aliis contenderent, nec tamen,
etiam si ea in re errarent, & peccarent etiam,
propterea Christi Ecclesia esse desiisse. Docendi
sunt, qui credunt multa esse ad salutem necessaria,
que tamen non sunt: monendi sunt & castigandi,
qui cum aliis non quidem privato odio, sed amore &
zelo religionis adducti contendunt, non tamen sunt
ab Ecclesia arcendi, dum salutarem Christi doctrinam
profitentur, & eidem alias obediunt.

Vidimus hactenus, quae fuerit vis verborum
respondentis: an vero tot errores in verbis anonymi,
quot promiserat se ostensurum respondens, ostende-
rit, nos nondum videre possumus.

Videamus reliqua, in quibus aliquid nobis lar-
gitur, quod scilicet non potest negare. & est. Posse,
scilicet omnes nos, unam Ecclesiam confidere, & pro
una haberi. Illud saltem, ait, fateri te oportebit,
salutarem doctrinam notam Ecclesiæ
Christi esse non posse. At id fatetur sponte sua
anonymus, nec usquam contrarium in Demonstra-
tione dixit, nempe, salutarem doctrinam notam
Ecclesiæ Christi esse. Ita enim considerat anonymous
salutarem

doctrine
statis non
est nota Ec-
clesie.

salutarem doctrinam in Christi Ecclesia, ut rationem in homine. Ratio autem in homine non est ejus nota, sed ejus essentia & forma, quae dat esse homini. Ita etiam salutaris doctrinæ professio non est nota Ecclesie, sed est aliquid multò majus, nempe id, quod Ecclesiam constituit, & ex quo Ecclesia ipsa constat. Frustrè igitur est audire amplius, quomodo hanc sumam assertionem respondens probare nitatur.

Sed quia, ut appareat, credidit respondens, se aliquid valde insigne, & argumentum quasi cornutum excoxitasse, videamus ejus istam rationē, quam paulo post ante recitata verba addit: Alterutrum ergo tibi elige, vel non omnes vos agnosce-re pro Ecclesia Christi, & sic falsum est quod dixisti, qui doctrinam profitetur, statim con-gnoscere alios eadem doctrina imbutos, (omnes enim sectæ vestræ profitentur, & ta-men non omnes vos agnoscitis) vel si agno-scitis omnes pro Ecclesia, falsum est, saluta-rem doctrinam esse notam Ecclesiae, quod tamen maximè probare contendis. Nam quomodo potest esse nota, sine qua, judicio vestro, inveniatur vera Ecclesia? Hactenus re-spondens. Sed videat ipse quid concludat: quod, scilicet a nobis nec affirmatur, nec quiquam secum pugnat. Consideret etiam, se verbum istud, quando sophista dicitur, eum, qui salutarem Christi doctrinam te-Miedzib, net statim etiam agnosceret, quinam sint vera Chri-sti Ecclesia, agnosceret, inquam, per trahere ad fal-sum sensum, & ejus ambiguitate decipere velle. nam

vox ista sic accipi potest & debet, Is etiam agnoscere potest, non verò, is necessariò agnoscet. Facile enim fieri potest, ut aliquis id, quod facere posset & deberet, non faciat, cæco scilicet affectu pertractus, vel errore aliquo, qui sit extra salutarem Christi doctrinam, seductus. qualis esset ille, quod, etiam si videret alios eandem doctrinam profidentes, quam ille profitetur, salutarem, quia tamen eosdem alios audiat quedam insuper profidentes, quæ ipse non profitetur, vel eosdem non profidentes, quæ ipse profitetur, cogitet ea non minus esse necessaria ad salutē atq; alia, & ideo eos, qui in quibusdam diversum sentiunt, odio prosequatur, etiam si ipse salutarem Christi doctrinam teneat. Breviter iterum dicam. Potest aliquis veram & salutarem Christi doctrinam profiteri, & tamen alio, eoq; multiplici errore teneri, qui tamen per se eum potest non damnare: vel, potest aliquis salutarem Christi doctrinam profiteri, & interim tamen eidem non obedire, quod supra exemplo Ecclesiarum Apostolicarum clarissimum fecimus. Tenebant enim proculdubio salutarem Christi doctrinam omnes. ab Apostolis enim edicti erant: & tamen in multis aliis errabant, & in eo etiam, quod aliis alium ob differentias quasdam, quæ in religione Christiana intercedebat, vel cōdemnabat, nempe imperitior peritiorem, sive, ut Apostolus loquitur, infirmus firmiorem, vel contemnebat, nempe peritior imperitior, vel firmus infirmiorem: & tamen certum est, istos omnes, qui sic agebant, non desiisse esse Christi Ecclesiam. Ma-

Doctrina
salutaris
non neces-
tariò homi-
nes pios ef-
ficit.

gna scilicet tunc erat autoritas legis Mosaicæ: diu multumq; duraverat cultus in ea præscriptus, & dogmata in eo contenta: contemtibiles erant Ethnici

Causæ discordiarum in religione.

Christiani respectu Iudeorum: ignominiosum videbatur Iudeus, pati se pertrahiri ad sententiam eorum, qui paulò antea nullam habuerant Dei cognitionem, & qui athei in mundo fuerant; cùm interim Iudæi perpetua successione populus Dei fuissent. Non minùs etiam nunc magna est apud homines autoritas Ecclesiæ Pontificiæ: diu multumq; duravit religio ab ea præcripta, & dogmata ab ea tradita: contemtibiles semper fuerunt ii, qui a Romana Ecclesia defecerunt, respectu istius Ecclesiæ: Ignominiosum visum fuit Pontificiis, pati se pertrahiri ad sententias eorum, qui paulò ante nulli fuerant; cùm interim Pontificii omnem sibi cognitionis clavem arrogarent. Itaq; multi territi ista autoritate, etiam si a ratione aliò ducantur, tamen rursus pertrahuntur in antiquam sententiam: reliqui, qui jam ex parte errores Ecclesiæ istius cognoverant, sive Evangelici, sive alio nomine appellati, difficulter tamen patiuntur sibi persuaderi, ea, quæ alii post eos docent, ex eadem fabrica Pontificia producta, fætus esse Ecclesiæ Romanæ, quos illa quidem enixa sit, alii verò soleant, illa ipsa autoritate Ecclesiæ istius iterum moti, & vicissim deterriti vilipendio eorum, qui aliud quid eis, præter ea, quæ ipsi antea cognoverunt, afferunt. Itaq; res hæc Deo in primis & tempori committenda est. Danda opera sedulò, ut cum omni mansuetudine ista aliis persuadeantur,

siquidem certum sit eos salutarem doctrinam ita cognovisse, ut si velint, & veræ pietati studeant, servari possint.

Præterea docet quidem respondens quid faciant plerūq; Lutherani Calvinianis, quid rursus Calviniani Lutherani, deniq; quid Lutherani & Calviniani faciant Anabaptistis, quos vocat: sed non docet, quid omnes tamen Lutherani Calvinianis faciant. Multi enim fuere, iig; primarii, qui concordia cum eis ineundam & conservandam esse omnino ab initio suaserunt & autores fuerunt. Nec etiam docet, quid omnes Calviniani Lutherani fecerint & faciant. Multi enim semper fuerunt, & etiam nunc sunt, qui ab istis contentionibus & condemnationibus planè abhorrent, & modos certos iam pri-
dem tradiderunt, quibus unitas inter eos conservari possit, ut etiam hic in ipsa Polonia factum esse non nescit ipse respondens. Quod, si nihil aliud, hoc saltem ostendit, non natura religionis, vel doctrinæ, quam omnes isti Evangelici confitentur fieri, ut ali-
us alium condemnet vel contemnat, sed affectu & impotentia animi quorundam vel imperitorum, vel saltem parùm piorum: & fieri posse, ut si charitas ac-
cederet, omnes unanimi consensu Deum glorifcent.

Porrò neq; hoc docet, omnes, quos vocant Evangelicos, ita repudiâsse eos, qui Anabaptistæ ap-
pellantur (sive de iis loquatur respondens, qui sunt in Moravia & Belgio, sive de his, qui hic in Polonia degunt, & injuriâ ita appellantur, cùm liberum u-
nicuiq; relinquant baptismum) ut ab Ecclesia eos Christi

Multi E-
vangelici
concordiæ
Christianæ
studiosi fu-
erunt.

Christi segregaverint. Fuerunt enim & ante, &
nunc sunt viri inter Evangelicos præstantissimi, iijq^z
ut puto, non omnino pauci, qui aliter existimärunt.
Nominabo nunc duos, qui etiam scriptis publicè e-
ditis id expresserunt, Acontium & Banosium. Is in
libro Sratagemmat. mille in locis id expressit. Vide-
atur lib. 6., ubi ait: Nollem effetalem fidei con-
fessionem, quâ compellatur quispiam ullius
dogmatis mentionem facere, quod non sit
ex præcipuis Christianæ religionis capitibus
ad salutem cognitu necessariis. Lib. verò 7. ait:
Qui pacem concordiamque in Ecclesia esse
vult, oportet eum rerum divinarum confes-
sione contentum esse. Frustrà enim sperave-
rit aliquis fore unquam, ut cum Dei Eccle-
sia tam benè agatur, ut de rebus omnibus o-
mnes idem sentiant. Quare una illa reliqua
est concordiae ratio, si qui necessaria ample-
ctuntur, ferant se mutuo, & suas controver-
sias inter se amanter humaniterque uti fra-
tres tractent. Que verba Acontii fatis superq^z ostē-
dunt, quemnam ille ab Ecclesia segregandum censu-
erit. Et certè, ut ex iis, que deinde recenset, capiti-
bus concordiae videre est, nec ipsos Anabaptistas ab
ea excludebat. Omnia enim que ibi recenset, sateri
possunt & satentur omnes, qui sic appellātur. Quan-
quam Acontius ille, si verum satendum est, multò fu-
it felicior in ostendendis erroribus, quam in veritate
invenienda & ostendenda, quod etiam de Laetan-
tio antiquitas sensit. Conserbit enim postea Symbo-
lum

Acontii te-
stimonia.

**Quis pro-
fessione
Christia-
nus.**

**Quis verus
Christia-
nus.**

lum fidei novum. Cur verò ad Apostolicum (quod vocant) vetus omnia non redegit? Fortassis quod hoc seculum aliud requirat, quam illud? At nos sentimus, quicunque ea, quae in Symbolo Apostolico continentur, profitetur, ita ut nihil, quod eis contrariū sit, in ipsius confessione demonstrari possit, eum, quoad confessionem, pro Christiano haberi debere. Quanquam neq; hoc satis est ad unitatem illam constitutendam, quae fraternitas Christiana sit. Omittitur enim illa, quā Christus omnino a suis requirit, præceptorū divinorū cōservatio, in qua si inter homines nō conveniat, non fraternitas illa erit, sed turpis & scelerata quædam conspiratio, etiamsi in omnibus tandem omnes consentiant, adeoq; ipsam veritatem profiteantur. Duo enim sunt, ut hoc iterum dicamus, quae fraternitatem Christianam necessario tollunt. Vnum est, si quis in colendo & adorando Christo ita erret, ut doceri nolit: alterum, si quis ita peccato vel uni vel pluribus immersus sit, ut nolit corrigi vel emendari.

**Banofij te-
stimonium.**

Banofius verò in libro de Politia Civitatis Dei & Hierarchia Romana fol 191. ait talem fuisse institutionem primitivæ Ecclesiæ. Vnum Deum esse creatorem universitatis, & Christum Iesum ex Virgine Maria, Filium Dei creatoris, tum carnis resurrectionem, tum legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis scriptis: inde haurire fidem suam, baptismo obligare, Eucharistia pascere, injuriam potius ferre, quam inferre, sanctè vivere & piè mori;

mori; hæc, inquam, fuit Ecclesiæ veteris Christianæ institutio, ad quam si nos omnes componeremus, dissidii causa nulla superebit, sic bellum civile cessabit: sic pax Catholica in Ecclesia Catholica erit sempiterna.

Hactenus Banosius. Quæ ejus verba satis demonstrant, illum nullos Anabaptistas ab Ecclesia segregasse. Omnes enim, qui nunc sive jure quodam, sive injuriâ ita appellantur, omnia illa confitentur, & quibusdam tantum verbis rectè intellectis, pro ipsissima veritate habent. Et notandum est, quod hic Evangelicus videt, hanc fuisse veteris istius Ecclesiæ primitivæ Christianam institutionem. Notandum etiam est, sufficere, quod quidam, iñq; præstantes inter Evangelicos, viri id agnoverint. Iudicium enim vulgi hac in parte nullius ponderis est censendum. Reliqui doctiores vel ea de re nunquam cogitârunt; vel occasionem etiam cogitandi non habuerunt; vel si tamen cogitârunt, affectum suum non ductum religionis secuti sunt.

Sed deniq; non docet respondens, eos, qui Anabaptistæ vocantur, condemnare & contemnere alios, qui diversum ab illis sentientes, salutarem tamen Christi doctrinam tenent & profitentur, qui tamen non minima pars eorum sunt, qui a Pontificia Ecclesia defecerunt, & pro Christiana religione non pauca sanè etiam perpessi sunt. Quanquam enim inter aliquos ista etiamnum vigeat opinatio, neminem in Ecclesiæ ipsorum communione esse posse, qui non idem in omnibus cum illis sentiat: tamen ista

ista opinatio non est omnium, & magis pl̄rāq; propter vitam parum piam, quam alii ducunt, ab aliis
Sententia nostrorum; rursus sunt alii ex illis ipsis, iijq; generatim omnes,
de concordia Chri- qui hic in Polonia degunt, qui multò aliter ea dere-
stiana. entiunt. Agnoscunt scilicet pro vera Christi Eccle-
a eos omnes, quicunq; Pontificiæ Ecclesiæ valedi-
cto, verū Deum Patrē & Iesum Christū ritè colunt &
adorant, & veræ pietatis, maximè verò charitatis,
studiosi fuerunt, & sunt. Tales autem fuisse omnes
illos, qui ætate nostra & Patrium nostrorum & in
Belgio, Italia, Gallia, Hispania, Germania, & ali-
bi, Christi causa bona sua omnia, & ipsam etiam vi-
tam prodigere non dubitaverunt, certò persuasum
habent. Tales etiam hodie omnes illos esse, qui re-
mota omni idolatriâ, Deum solum, & Iesum Chri-
stum colunt & adorant, & veræ pietati & charita-
ti in proximum student, nihil dubitant; ideoq; fra-
ternitatem cum omnibus illis inire satagunt, & quo
minus res succedat, hactenus per eos nullo modo stat:
sed per illos, penes quos Ecclesiarum Evangelicarum
regimē est & gubernatio, qui tamē hactenus nullam
causam, cur tantopere istam concordiam detrectent,
afferre potuerunt, que non sit carnalis: si modò cer-
tum sit, quod nos certissimum esse statuimus, idq; to-
ties iteramus, cultum Dei & Iesu Christi, studiumq;
pietatis, & in primis charitatis, sufficere ad consti-
tuendam Christi Ecclesiam. Nam omnes, qui Ana-
baptistæ vocantur, Deum & Iesum Christum divino
modo colere, & pro virili pietati & charitati erga
proximum

proximum studiosos esse, nemo, veritatis etiam civi-
liter amans, negare potest. Videt igitur re-
spondens, quomodo istud argumentum facillimè per-
rumpi potuerit, & proinde non esse, quod ita sese ja-
ctabundus prædicet, & triumphum canat ante vi-
ctoriam. Et hactenus de tertio Capite.

Ad CAP. IV. Responsio.

HIC primùm, suo more, respondens impe-
git in argumento, quod facit sui capitū,
quod tale est: Falsò afferit Demon-
strator, ex notis, quas assignant Catholici,
non posse ostendi evidēter Ecclesiam Chri-
sti. Facit enim hoc argumentum concedentem
tacitè anonymum, quāsi notae sint aliquæ veræ Ec-
clesiæ, eas autem, quas assignant Pontificii, illas non
esse: cùm tamen anonymous omnino neget opus esse,
ut extant notæ aliquæ Ecclesiæ. Facit etiam tacitè
concedentem anonymum, notas illas, quas Pontificii
assignant, per se esse veras: sed tamen insufficientes
ad ostendendum per eas Christi Ecclesiam, cùm ait,
anonymous afferere, non posse ex notis illis ostendere
evidēter Ecclesiam Christi: cùm tamen anonymous
planè neget eas, quas Pontificii assignant, notas, in
sacris literis extare; nec necesse esse affirmet ut ex-
tent, cùm per se non sit necesse, veram Christi Eccle-
siam inquirere. Sed hæc indicata missa faciamus.
Ad ipsum Caput veniamus.

Lapsus
Miedz.

Ponit

Ponit igitur primūm verba anonymi, quæ sic
habent. Pontificios, dum afferunt, apud se
Ecclesiam esse, hoc perinde esse, ac si dice-
rent, se tenere ac profiteri salutarem Christi
doctrinam: hoc verò quomodo probabunt
unquam, nisi prius ostenderint suam doctri-
nam cum divinis oraculis consentire? Ad hæc
verò sic respondet. Erras toto cælo, cùm dicis,
perinde esse, affirmare apud nos esse Ecclesi-
am, & dicere, tenere nos ac profiteri saluta-
rem Christi doctrinam.

Quid audio? Is ne

*Miedz. af-
firmatio
seméra-
ria.*

*toto cælo errat, qui, sine quo Ecclesia Christi nullo
modo esse potest, & quo posito, vera etiam Christi
Ecclesia necessariò ponitur, affirmat, eum, qui ait,
se esse Ecclesiam, simul etiam affirmare, se tenere
salutarem Christi doctrinam? Cur igitur falsitatis
non convincit respondens istam descriptionem Ec-
clesiæ Christi aspectabilis, quod sint cœtus hominum
salutarem Christi doctrinam tenentium & profi-
tentium? cur non aliam ostendit, eamq; veriorem e-
jus rei descriptionem? Certum est, ubi est Ecclesia,
ibi esse salutarem Christi doctrinam, & vicissim, u-
bi est salutaris Christi doctrina, ibi esse Ecclesiam
Christi. At reddit rationem respondens, Aliud
est enim Ecclesia, aliud Doctrina Christi.
quasi verò affirmet anonymous, idem esse Ecclesiam
quod doctrinam. Quis verò unquam ita ineptè locu-
Inceptia
Miedz. tus fuit? Cur tandem affingit respondens ea anonymo,
quæ ei nec unquam in mentem venerunt, nec
scripta in Demonstratione extant? Non doctrinam,
sed*

sed professionem doctrinæ, nec doctrinæ simpliciter,
 sed doctrinæ salutaris, ait anonymus, esse reciprocum cum Ecclesia. Quod quia, quomodo everteret,
 non habebat respondens, ideo hoc misso, aliò sermonem convertit, & pro eo, quòd ostendere debebat, suam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, planè aliud tractat, nempe, quòd aliud sit doctrina, quam Ecclesia, dum ait: Negari quidem non debet, Ecclesiam Christi habere simul doctrinam Christi, sed tamen ista duo confundenda nō sunt, & priùs unum cognoscendum est, quam aliud, loquendo simpliciter & absolutè. Non tantum negari non potest, Ecclesiam Christi habere simul doctrinam Christi, sed etiam confiteri necesse est, ubi cunq; est doctrina Christi salutaris, ibi necessario esse veram Christi Ecclesiam: & vice versa, quod tu hic tacitè involvis, & præstigias obducis letori rem aliò detorquendo. *Qui verò ista duo confundit? Nonnē apertè distinguit ea anonymus, dum res Mscd. ait, eum qui unum cognitum habet, alterum etiā habere? Hoc verò, quid est, quòd priùs unū cognoscendū sit, quam aliud, loquendo simpliciter & absolutè? Evidem fateor, me non intelligere, quid causæ habuerit vel habere potuerit respon. hæc verba addendi, que planè ita assuta sunt, ut, quod referenda sint, nesciatur. Hoc verò quis tibi concesserit, unum horum duorum priùs cognoscendum esse quam alterum? nonnē cognito uno, nempe salutari doctrina Christi, hoc etiam alterum cognitum erit? At tu contrarium statuis, Debet autem, ait,*

*Scripturæ
Miebz.*
priùs cognosci Ecclesia, quā cognitā, con-
stitabit nobis de Christi doctrina, veroque
scripturæ sensu. Quomodo istud probes, postea vi-
debimus. Iam attende, quām astutè & parum can-
didè agas, quod, cūm de salutari Christi doctrina
sermo est, verum sensum Scripturæ supponis. Nunc
enim non de sensu Scripturæ sermo est; sed de ipsa
Scriptura. Sed & hoc transeat, & tuo agendi mo-
do detur.

*Probas autem, cognitā Christi Ecclesiā, con-
stitutum nobis de Christi doctrina, hoc modo: nam
in Ecclesia est Spiritus Dei, qui docet eam
omnem veritatem, attenditque ne quis un-
quam in fide error illi obrepat. Esto. Eccle-
siam Christi veram hisce rebus ornatam esse. At
quid hoc ad Pontificios, cūm non ostenderint, nec
ostendere possint, se esse veram Christi Ecclesiam, de
quo nunc erat sermo institutus, sed miro artificio a
respondente aliò detortus. Sed & hoc omissio, ve-
rum esse illud, quod respondens ait, nullo modo po-
test. Interrogabo enim, Quomodo credere debeo
Ecclesiam habere Spiritum Dei, & proinde illi in
iis, que ad salutem pertinentia statuit, fidem adhi-
bendam esse, cūm sit composita ex hominibus errori-
bus obnoxii, & nulla a Deo tali præminentia, quod*

*Veritas ex
Sacris lite-
ris discen-
da.*

errare nequeat, commendata. Quid hic respondebit
respondens, vel acerrimus etiam Pontificie Ecclesie
defensor? Nihil certè aliud, quām hoc, sat scio: Te-
stimonia extare divina, quibus illud, quod de ista
Ecclesia affirmatur, comprobetur. Quod si eum ur-

geat

geat adversarius, quoniam tandem sint ista testimonia divina, ad nulla alia, quocunq; se vertat, confusare potest, quam ad ea, que in sacris literis, que ab omnibus Christianis recepta sunt, continentur. Videntur igitur gyrum, in quem subinde relabimini, ex quo nunquam vos extricare potestis? Hinc igitur infero, siquidem propterea debo statuere de Ecclesia, eam habere spiritum Dei, & proinde eam me doctrinam salutarem docere posse, quia testentur hoc de illa sacrae literae, nonne apertissimum est, prius cognoscendas esse sacras literas, in quibus doctrina salutaris Christi continetur, & deinde ex illa Ecclesiam, vel potius solas sacras literas, que sola sunt Christi doctrina salutaris, cognoscendas esse? His enim cognitis, jam Ecclesia ipsa cognita erit. Posse autem aliunde cognosci, quam ab Ecclesia, sacras literas esse veras, alibi a nostris, & aliis etiam, demonstratum est.

Docet quidem Spiritus sanctus omnem veritatem, sed Apostolos; & docet veritatem, non omnem, sed Apostolicam, hoc est, ad munus illorum propriè spectantem: Sed hinc non sequitur, non posse eos ex Christianis, quos hodie docet Spiritus S. veritatem, cras eidem Spiritui S. resistere, & nolle ab eo doceri. Semper enim, inquit Stephanus Iudeis incredulis, vos Spiritui sancto resistitis, ut etiam maioribus vestri. Attenditq; etiam Spiritus sanctus, hoc est, Deus per Spiritum suum sanctum, quem largitur Ecclesie sue episcopis, ne quis unquam in fine erroris Ecclesie obrepatur: sed tamen neminem co-

git, ut veritatem vel amplectatur, vel retineat. attendit scilicet, ne ab aliis, qui Christianorum fidei insidiantur, possint seduci: at si quis sponte sua ruat in exitium, hunc nunquam Deus vi retrahit, quin immo se penitus etiam in ultimam perniciem protrudit.

Sed nunc audiamus, quomodo probet resp. Ecclesiam Christi prius agnosci debere, quam salutarem Christi doctrinam. Ecclesiam, ait, primò cognosci debere, Esaias etiam ipse testatur, Venite, inquit, ad montem Domini, & docebit nos vias suas. Primùm ita loquitur, ac si multi sint, qui ea de re testentur, & inter eos etiam sit Esaias, isq; inter alios, qui ea de re testari potuerint, primarius. Hæc enim istorum verborum, Esaias etiam ipse, emphasis quasi est, cùm tamen nullius meminerit respondens, præter solum Esaiam: & Esaias non omnino primus inter eos sit, qui ea de re testari potuerint. nam certè, si Apostolus aliquis ea de re testatus fuisset, multò id magis valuisset, quam cùm Propheta veteris Fœderis ea de re testatur. *Quod non ideo dicimus, quasi negemus valere etiam illud, quod Esaias ea de re testetur; sed ut doceamus, non ita loquendum fuisse respondenti.* Deinde pro una & eadem Ecclesia accipit respondens & illam Iudaicam, & hanc Christianam. Cùm tamen multum inter se omnino differant, adeo ut pleriq; Theologi Christianos cætus nomine Ecclesiæ, Iudanos vero Synagogæ appellârint. Sed hæc leviora sunt. rem ipsam videamus.

Locus Esiae, primum loquitur de illis, qui jam Paralogi-
sunt in Ecclesia. Quomodo igitur ad eos pertrahi sibi Mie-
potest, qui nesciant, ubi sit Ecclesia, & eam primum
inquirunt? Deinde idem locutus tantum id docet, in
monte Domini docendos esse homines vias Domini,
& ut respondenti concedamus, quod vult, in Eccle-
sia: at non exprimit eum, qui vias Domini in monte
illo homines docturus sit. Qua fronte igitur ex eo o-
stendere conatur respondens, ipsam Ecclesiam do-
cturā homines Dei semitas? Et concedi sane potest, in
sola Ecclesia Christi homines doceri Dei vias: sed ab
ipsa hoc eo sensu quo vult resp., fieri, nemo nisi stupi-
dus existimabit. Docebantur olim vias Domini Isra-
ēlītē in illo templo, nō ab aliqua Ecclesia simpliciter,
sed ab ipso Deo, vel etiam ab hominibus, secundūm
propagatam a Deo legem. Nam si omnino ab Eccle-
sia vel ejus Senioribus, pependisset cognitio viarum,
hoc est, voluntatis Domini, tamdiu bene quidem a-
ctum fuisset cum Israēlītis, quamdiu seniores Eccle-
siae bene se gesserunt. Quid verò illis factum fuisset,
quando Seniores illi omnes deviārunt, ut de illis
conqueritur Deus per Prophetam? Credibile est, eos
runc etiā obtendisse velum istud Ecclesiae, ut Jeremias
testatur. Sed quid Deus iussit eis respondere? Nolite
confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Ierem. 7.4
Domini, templum Domini, templum Do-
mini. Quemadmodum etiam hodie, si ab Ecclesia
vel Senioribus illius penderet salutaris doctrinæ co-
gnitio, bene quidem ageretur cum Christianis, quā-
diu illi tenerent normam sibi a Christo in Evange-

Defensionis tractatus

70

lio aperte præscriptam: Sed, si omnes errent & de-
vient, quid fieret populo Christiano? Datum au-
tem esse privilegium Ecclesiæ vel ejus Senioribus, ne
unquam errent, Pontificia est fabula. Id enim neq;
in sacris literis expressum est: neq; ex illis deduci po-
test, quinimò tale quippiam extare, eisdem contra-
rium est. Inverteretur enim omnis religionis natu-
ra, quæ est voluntarius Dei cultus.

Addit deinde alia quædam verba respondens,
unde appareat, ab Ecclesia discendas esse vias Do-
mini, sed a vero alienissima, dum ait: alioqui eun-
dum est nobis in præceps, ut in multis vide-
re est, qui a fide exciderunt, & circa eam nau-
fragaverunt. & ascribit locos sacrarum litera-
rum duos. Prior locus ita habet. Radix omni-
um malorum est avaritia, quam quidam ap-
petens, aberraverunt à fide, & seipso trans-
fixerunt doloribus multis. Quænam hic Ec-
clesiæ vel per speciem mentio? Itane licet, quod li-
ber? Atqui Deus non illuditur, ait Apostolus. Hocci-
ne est loqui, ut eloquia Dei? Alter locus ita habet.

Tim. 6. 10. Habens (scilicet tu Timothee) bonam consci-
entiam, quam quidem repellentes, circa fi-
dem naufragaverunt. In nunc igitur, & crede
respondenti literas sacras alleganti, & ex eis con-
cludenti, ecclesiam priùs cognosci debere, quam sa-
cras literas. Ita nihil pudet eos, qui præjudicatas a-
liorum opiniones ex præjudicatis argumentis defen-
dunt, ut contra ipsissimam veritatem sacras literas
ad suum propositum pertrahant. Utinam respondens
hic

Audacia
Miedzib.**Tim. 6.**

10.

Tim. 2.

19.

bis resipiscat, & quam graviter erraverit, veteri-
am peccaverit, tandem agnoscatur?

Postquam respondens credidit, se docuisse, ec-
clesiam prius cognoscendam esse, quam doctrinam
salutarem, quod quomodo ostenderit, haec tenus vidi-
mus, hinc insert, necesse igitur esse, ut sint aliquæ no-
ræ, ex quibus ea cognosci possit. Sed quia nec docuit,
nec docere unquam poterit respondens, ecclesiam
prius cognoscendam esse, quam doctrinam saluta-
rem, quid, queso valebunt illius hæc verba o-
mnia? Nihil. Sed tamen, ne quicquam omittamus
eorum, quæ dicit, videamus argumentum, & vim
verborum.

Affirmat, unam notam Ecclesiæ esse,
quod debeat esse Catholica, hoc est univer-
salis, ita ut non ad certum aliquid tempus
coarctetur, sed sine interruptione duret o-
mnibus seculis, ex quo a Christo & Aposto-
lis est fundata. Rationem affert, quia semen
verbi Dei, quo satum est, debuit in agro Do-
mini crescere usque ad messem. Quia verò
semen hoc spargendum erat ab aliquo, de-
buisse etiam seminatores esse, qui illud spár-
gerent semper. Hanc verò notam soli Ecclæsie Ro-
manæ convenire assunit. Quia semper fideles &
Pastores fuerint in ea, quod in Ecclesiis Lu-
theranorum, Calvinistarum, Anabaptista-
rum defecisse clarum sit; cùm ante Luthe-
rum Ecclesiæ istorum non fuerint. Haec tenus
argumenta respondentis & ejus probations. Non

Refugia
Pontificio-
rum ad Ec-
clesiam.

ignoramus sancè, quantum hisce suis deductionibus Pontificii tribuant, & quomodo, varie illas formando & reformando, vulgus imperitum, & eos, qui servitute, quā ab illis premuntur, propter aliquod commodum suum carnale gaudent, aut metu inimicitarum eam excutere non audent, vel non possunt, decipient: Sed quām fuitiles sint, iampridem a multis etiam non minus cordatis quām piis viris, ante nos demonstratum abunde est, ita, ut non habeat, quod gloriatur respondens de eo, quām multa ipsi de istis notis sue Ecclesiæ Catholicæ, quas vocat, trādiderint. Nunquā enim cedunt illi alii vel eruditione, vel pietate Pontificis, qui istas notas tantopere commendant. Nos omisis in præsentia aliis, ad hanc notam, enī modò mentionem fecit respondens, & quamobudere nobis voluit, pauca respondebimus.

Negamus igitur propositionem argumenti; Quod necesse sit Ecclesiam Iesu Christi semper ab eo tempore, quo a Christo & Apostolis fundata est, durare. Rationes cur id faciamus, ut afferamus, necesse non est, quanquam suprà aliquoties allegatae sunt. Probationem verò, quam istius sue propositionis assert respondens, dicimus esse non tantum infirmam, sed etiam planè nullam, & indignam Theologo. Primum enim petitum est ex sermone parabolico Iesu Christi. ex parabolis verò argumenta firma, quibus aliquid ad salutem, vel etiam ad religionem pertinens probetur, deduci non posse, hactenus omnes Theologi confitentur sapientes, & qui cung̃ aliter faciunt, non leviter errare censendi sunt.

uratio
ecclæ nō
et necel-
faria.

parabo-
non pe-
natur fir-
argu-
nemsa.

sunt. Nec mirum. In parabolis enim non numeranda sunt verba, sed pensitanda pondera, hoc est, scopus tantum attendendus, cuius causâ ea sit a Christo proposita. alioquin si ex singulis verbis singula dogmata extruere velimus, pro Christiana religione sanctissima ludum & jocum habituri sumus valde ridiculum. Hinc sit, ut quando illis ipsis verbis utuntur Evangelici quidam ad demonstrandum, quod non liceat vi aliquem ad religionem adigere, in hunc ferè modum respondere soleant ii, qui contrarium sentiunt, non esse scilicet petendam confirmationem hujus sententiae, quam Evangelici quidam sequuntur, ex parabolis. Et quidem non injuria. Quamvis enim probabiliter & populariter ex verbis Christi ostendi possit, quod volunt isti Evangelici: tamen procul dubio aliter restanta probanda erat, non deductione quadam ex parola, sed ostensione rotius analogie Christianæ religionis, & maxime Regalis istius legis charitatis, quæ religionis Christianæ caput est, & sine qua religio Christiana nulla planè est. Persequi enim & vitâ etiam privare eum, qui diversum in religione sentit, næ acuta illa est charitas. Rectè igitur amat Christianos, Turca, qui eos ferro, igneque ob religionem persequitur. Sed ad rem.

Dicimus igitur, istius parabolæ scopum esse, quod causa, cur homines Evangelio fidem non adhibeant, una vel præcipua sit Diaboli invidia; & quod homines, etiam si nunc lateant, tandem tamen reportaturi sint dignam suis factis mercedem. Quic-

quid extra hoc affertur, id totum ad rem ipsam propriè non pertinet, sed tantùm ad continuandam & rectius explicandam parabolam additur. Hoc ita se habere, præter alia hoc unicum evidenter demonstrat, quòd ipse Christus, paulò infra parabolam hanc exponens, nullam hujus particulæ, quâ continentur interrogatio servorum patris familias: Visné igitur abeuntes colligamus ea, & responsionis patris familias: Non, ne fortè colligentes rizania, eradicetis simul cum eis & triticū. Sinite crescere utrumque usque ad messem, mentionem facit, hoc est, non explicat, quinám sint illi servi, qui ita patrem familias allocuti sunt; nec quid illud sit, quòd non permiserit pater familias rizania evellere. Hoc verò fieri nullo modo potuisset, aut factum fuisset, si verba ista aliquid, ut loquuntur, de essentia parabolæ continerent.

Sed esto tandem, tantundem valere ad aliquid probandum parabolam, quantum alia Christi dicta: esto, hanc particulam etiam de essentia parabolæ esse, quid ex ea demonstrabit respondens? Hocciné, quòd semper debuerit durare semen verbi Dei ex quo satum est, & ideo etiam Ecclesiam; hinc verò consequi, Ecclesiam esse Catholicam, hoc est, semper durantem? Hac ratione possum ego etiam demonstrare, rizania, hoc est falsam doctrinam, ex quo sata est, semper duraturam, & idcirco etiam illos, qui falsam doctrinam sectantur; hinc verò consequi, eam Ecclesiam, quæ falsam doctrinam sequitur, esse Catholicam, & proinde veram, nam aperte Domi-

Absurde
argumen-
tatur Mie-
dzib.

nus ait: Sinite crescere utraque usque ad messem. Ridebit fortasse, vel indignabitur respondens cum haec leget. Cogitet igitur vicissim, nos etiam rideendi & indignandi causam habuisse, cum ipsius argumentum legeremus. Hac ratione illi, quos Ecclesia Romana pro schismaticis habet, erunt etiam vera Christi Ecclesia. nam non minus fideles & Passores apud eos durant, quam apud Pontificios. Quid igitur ad verba haec, inquiet aliquis, respondes? Hoc scilicet, quod Christus non affirmat semper utraq. futura in agro, nempe bonum semen & zizania: sed, si semper futura sint, docet, quid faciendum sit. Potest autem fieri, ut nulla sint zizania; vel fieri etiam potuit, ut totus ager esset resertus zizaniis. Itaq. si hoc succederet, nullum locum haberet ista Christi admonitio. Potuisse autem fieri, ut totus ager zizaniis scateret, nimis aperte testantur sacræ literæ, cum defectionem a fide per istum hominem peccati & filium perditionis prænunciāt, & multos luxurias seductorū secuturos testantur, & omnes gentes ab ista magna Babylonie deceptum iri docent. Sic igitur corruit propositio respondentis, & nisi alio modo fulciatur ista Catholica autoritas Ecclesiæ Romæ, propediem apud omnes probos corruitur a est, hoc est, manifestum erit, non esse hanc notam Ecclesiæ, quod semper durare debuerit. Et quomodo, quæso, haec nota sit Ecclesiæ, cum nulla Ecclesiæ spectabilis sit nota, nec, ut sit, necesse sit?

Veniamus ad assumptionem. in qua nihil aliud inest, quam otiosa jactantia, quam sibi ipsis imponunt Pontificis,

2. Thes. 2. 3.
2. Pet. 2. 2.
Apoc. 18. 3.

Duratio Eccl. Pontificii, vel ad eos erroris convincendos non vul-
clexæ per se nihil va- garis occasio. Quid enim est jactare durationem Ec-
clesiæ, si aperte constet, eam Ecclesiæ, quæ tam diu
duravit, tam turpiter a fide Christiana defecisse?
Revocent suam ecclesiæ Pontificii ad illam Eccle-
siæ Romanam, quæ tempore Pauli floruit, & de
qua non pauca scripsit, unde ipsius tunc præstantia
apparebat, & conseruant suam religionem & suos ri-
tus cum illius Ecclesiæ religione & ritibꝫ, nihil certe
præter nudum nomen apud se superesse, aperte de-
prehendent. Quod si dicat respondens: talis erat
religio, tales ritus in ista Romana antiqua Ecclesiæ,
quales nūc sunt in nostra; hic ego regeram illa, Pro-
fer tabulas, profer testimonia. nec enim fieri potest,
ut ea sit vera illa Romana Ecclesiæ, quæ tempore Pauli
exitit, quæ contrariam hodie religionem, & ritus
contrarios illi habet, quos Paulus describit. Quod
si probare velim, apud omnes oleum & operam per-
derem. Inter eos enim, qui jam Pontificiæ Ecclesiæ
valedixerunt, nemo est, qui aliter sentiat. inter re-
liquos Pontificios non minus etiam manifestum il-
lud est, quippe, qui sponte sua confitentur, pleraq; e-
orum, quæ illi nūc in religione sectantur, ab auto-
ritate Patrum, Conciliorum, qui longo post Aposto-
los tempore extiterunt, pendere.

Duratio,
corruptæ
Ecclesiæ si-
gnatum esse
potest.

Erroris autem convincendi ex hoc ipso Ponti-
ficios, occasionem non vulgarem hinc peti posse pa-
ret, quod valde verisimile sit, istam hominum mul-
titudinem non esse verum Christi populum, qui per
tot secula in uno loco durat. Populus enim Christi
instat

instar ovium est inter medios lupos. quomodo verò
inermes & imbellis oves, quantumvis numero plus
rimæ sint, vel paucissimis lupis resistere valeant, ne-
dum si pauciores sint numero lupis? Ultio omnis præ-
cise prohibita est Christiano populo. Allicit autem
improbos homines quodammodo haec illius professio
ad eum affligendum & persequendum. Itaq; si Chri-
stianus populus semper duravit, aut agnoscenda est
talis Dei providentia, que naturam rerum invertat,
nempe, quod Deus homines improbos perpetuo coe-
gerit, ne Ecclesiæ noceret, quod Deus rariissimè & ad
brevisimum tantum tempus facere solet; vel potius
concludendum, illos, qui Christianus populus appella-
ri gaudebant, ut in aliis, sic etiam in hoc degenera-
se a sua probitate, & quod patientiâ efficiendum e-
rat, id minis eos effecisse, nempe vim vi repellendo
(Deo ita permittente) tandem superiores evasisse,
& aliis ex provinciis & urbibus ejectis, easdem oc-
cupasse. Quod an verum sit de Romana Ecclesia, o-
mnium esto judicium. Itaq; vel desinant jactare i-
stam suam Ecclesiæ durationem Pontificii, vel sci-
ant, se hac ipsa ratione eam apud omnes verè Chri-
stianos suscepstanam omnino reddere.

Interrogat respondens, quando in Ecclesia
Romana, quo primum tempore stetit, fide-
les, supra quos semen verbi divini spargere-
tur, aut satores, qui sunt Pastores legitimi,
defecerunt? ut defecisse clarum est in Eccle-
sia Lutheri, Calvini, Anabaptistarum. Prius
ad defectionem hanc Lutherorum, Calvinista-
rum

rum & Anabaptistarum respondebo: Deinde vide-
 bimus istam durationem Romanae Ecclesiae. Rursus
 vero, prius, quam ad ipsam rem respondeam, indi-
 canda est respondentis ineptia, quam his verbis, ut
Ineptia defecisse clarum est in Ecclesia Lutheri, Cal-
Miedz. vini & Anabaptistarum, prodidit. Nam si dese-
 cisse, subintellige fideles, Pastores, (de his enim ser-
 mo fuerat) clarum est in Ecclesia Lutheri, Calvini,
 & Anabaptistarum, hinc sequitur, fuisse aliquando
 fideles & Pastores in Ecclesia Lutheri, Calvini, &
 Anabaptistarum. Quod enim nunquam fuit, dese-
 cisse nullo modo potest. Si vero fuit Ecclesia Lutheri,
 Calvini, & Anabaptistarum, & in ea fideles & Pa-
 stores, quomodo eos primum post Lutherum exortos
 fuisse dici potest? Eadem ineptia etiam in sequenti-
 bus verbis apparet, dum ait: nam hi demum post
 Lutherum omnes exorti sunt. Quinam sunt,
 illi, hi, & qui post Lutherum omnes exorti sunt?
 Certè non habet Fronomen hi, ad quod referatur.
 Si enim per hi omnes intelligit Lutherum, Calvi-
 num, & Anabaptistas, quomodo post Lutherum Lu-
 therus extitit? Si per illud Calvinistas & Anaba-
 pistas intelligere se dicat, nihil dicit. Tam enim
 Lutherus, quam illi, invisibilem Ecclesiam, que ante
 Lutherum fuerit, statuunt. Sed hoc indicare sat est,
 ut lector videat, non decuisse eum, qui satis alioquin
 eruditus esse videtur, ita orationem suam intrica-
 re, & obscuram reddere.

Nunc ad defectionem illam Ecclesie Lutheri,
 Calvini, & Anabaptistarum. Dico igitur, si per Ec-
 clesiam

Ecclesiam Lutheri, Calvini, & Anabaptistarum intel-
 ligit respondens eos, qui sic unquam appellati sunt, Sophisti
 eum in re seria ludere, & seipsum prodere, quod res Miedzib.
 religiosas parum religiosè tractet. Si verò per Ec-
 clesiam Lutheri, Calvini, & Anabaptistarum, in-
 telligit eos, qui idem, quod isti confessi sint, triplici-
 ter respondeo. Primum, non posse probari omnes il-
 los, qui confessionem eam, quam Lutherius, Calvi-
 nus, & Anabaptiste, in præcipuis & essentialibus
 Christianæ religionis capitibus secuti sunt planè de-
 fecisse, ita ut nullus eorum superfuerit. Potuerunt
 enim alicubi latere, vel etiā inter medios suos hostes
 clām illis vivere, quemadmodum hodie etiam in ipsa
 urbe Roma, ubi sedes est Antichristi, non paucos de-
 lituisse, qui veritatem salutarem perspectam habu-
 erunt, ipsa experientia docuit, & nunc etiam ibi-
 dem & alibi, ubi illud Diabolicum Inquisitionis,
 quam vocant, imperium vigeret, non paucos esse, ne-
 mini dubium esse debet. Quomodo enim inquisitio
 durare posset, si non essent, in quos inquirendum es-
 se Papa censeret? Exclamat Pontificii, cur igitur
 sese non prodiderunt, cur in publicum non prodie-
 runt illi clancularii? In promptu causa fuit, quæ eti-
 am nunc est: quamprimum aliquis in Italia vel Hi-
 spania aperte id profitetur, quod sentit, si vel in re
 minima dissentiat a Romana Ecclesia, statim ad
 carceres, ad rogum rapitur, causâ indictâ bona con-
 fiscantur, & nemo est, qui contra hæc vel mutire
 audeat. Tanta est Papæ Romani in procuranda
 salute hominum, (scilicet) charitas. Hæc quia non
Errores
Miedzib.
Ecclesiam
prorsus de-
fecisse pro-
bari non
potest.
 omnes

omnes subire parati sunt, vel quod sint in fide infirmi, vel quod id faciendum sibi esse, persuasum illis non sit, ideo latent. Quam vel infirmitatem, vel ignorantiam, Deum pro summa sua erga homines benignitate credibile est, istiusmodi hominibus non imputaturum, quemadmodum exemplum istorum, qui tempore Eliæ latebant, & tamen genua sua Batali non incurvabant, manifestè docet.

B. Reg. 19.
10.

Quatenus
confessio ad
fidem re-
quiratur.

Quod si quis dicat, requiri etiam confessionem ad fidem, quæ in corde lateat. Respondemus, hoc tunc demum verum esse, si constet de aliquo, qualem sequatur confessionem, ne scilicet neget, se eam sequi. alioquin, si id non constet, non frustrà Deus tentandus est, nec periculum accersendum. Potest autem fieri, ut sint, qui veram fidem in Christum teneant, & tamen nullam veram occasionem habeant eam publicè profitendi, nempe, si a nemine interrogantur, aut alio aliquo modo provocētur. Quanquam vicissim dissimulationem interdum admodum periculosam esse planè statuimus. Affinis enim est isti abnegationi Christi, quam aeterna damnatio necessariò consequetur.

Ecclesiam
non planè
defecisse,
probatur.

Deinde dico, admodum facile probari posse, non tantum semper extitisse eos, qui contraria eis, quæ nunc sequitur Romana Ecclesia, dogmata & ritus etiam secuti sunt, licet eos Romana Ecclesia, vel alii etiam ipsorum similes, nempe fideles, non novierint: verum etiam semper ferè extitisse eos, qui publicè id sint professi. Ista enim doctorum Pontificiorum series, quam a tot retrò seculis, posteri & defensores

sensores illorum nec tere conantur; istae etiam perpetuae, quæ commemorantur, cum adversariis habitæ controversie, quarum libri illorum testes sunt, quid aliud indicant, quam semper extitisse, qui Romanae Ecclesiæ fuerint contrarii? Quorsum enim scripsissent adversus eos, qui jam non erant, doctores Pontificiæ? At inter eos, adversus quos doctorum Pontificiorum libri extant, aliquos secutos esse sententias præcipuas, quibus Lutherus a Romana Ecclesia differt, aliquos eas, quibus Calviniani, aliquos deniq; eas, quibus Anabaptistæ, vel hoc ipsum demonstrat, quod hodie præcipui Romanæ Ecclesiæ defensores, & Luther. & Calvin. & Anabapt. jampridem ab istis suis doctoribus refutatos & damnatos esse, cum aliud quod respōdeant non habent, ad ravim usq; clamitent. Quomodo verò ex doctoribus refutari & damnari possent, nisi adversus tales, quales sunt Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, scripsissent? Ex eo enim, quod adversus Iudeos aliquis scripserit, non potest erroris convinci hæreticus, & vice versa: nec ex eo, quod adversus Lutherum scriptum est, potest erroris convinci & jure damnari alius quis, siquidem in præcipuis articulis ab eo dissentiat, qui damnatus est.

Si dicat quis, paucos eos fuisse, & tandem penitus In religio-
deletos: hunc ego primum ignorantiae crassæ accusa-
bo, qui velit semper multos esse, qui veritatem pro-
fiteantur. cum tamen & sacra scripture, & ipsa ex-
perientia teste, semper paucissimi fuerint, qui veri-
tatem & virtutem aperte professi & sectati sint.

ne non spe-
& anda mul-
titude.

Deinde supinum eundem rerum censorem appellabo. nam quid est credibilius, quam multos eosq; veritatis & virtutis hostes, oppressisse tam eos, qui veritatis defensores erant, quam scripta illorum omnia, ne scilicet ex iis appareret, quomodo sententias suas probaverint? Sic enim cause sue, ut potuit, Diabolus consulere voluit. Quanquam ne hic planè sapuit, vel potius sapere non potuit, Deo scilicet rem istam, summâ & verâ suâ sapientiâ, moderante, quod scripta doctornm istorum Pontificiorum non curaverit simul etiam opprimi. Credidit scilicet Satanás, & Romana Ecclesia, se hanc ratione perpetuò obtenturam, quod semel obtinuerat: integrum verò Deus illa scripta extare voluit, ut ex illis ipsis homines non improbi, & non rudes, cognoscere possent, quænam sit salutaris veritas, quam tanto pere a multis seculis, professione Christiani, impugnârint, & quæ tela sint, quibus impugnata fuerit. Quicquid enim a Romana Ecclesia in Christiana religione unquam impugnatum est, id totum serè pro veritate divina censerî debet; tela verò, quibus id factum fuit, straminea sunt, vel saltē plumbea, quæ perrumpi facillimè possunt, & magis premunt, quam pungunt. Defenderunt enim isti doctores Pontificii tot & tantas nugas, tot & tantos errores, tot & tanta peccata, idq; his modis & rationibus, ut hodie eos, qui paulò sunt perspicaciores, & rerum istarum, quas defenderunt, & modorum, quibus eas defenderunt, pudeat. Hinc fit ut sese in mille modos vertendo, & res & modos aliter atq; aliter forment

Scripta ad
veritati
testimonia
sunt veri
tatis.

atq; reformat: nec tamen tantum sapiunt, ut nævos
suorum Patrum & doctorum, tegere, ita ut vellent,
possint.

Deniq; etiam si concedatur, nullos fuisse, qui a Præter Ecclesiæ du-
multis retrò seculis, ea, quæ nunc Lutherani, Calvi-
nistæ, & Anabaptistæ confitentur, dogmata confessi-
sunt, & ritus eos, quos illi nunc observant, in colendo
Deo observaverint, sed omnes unâ cum scriptis peri-
sse, & interemtos esse, hincne sequetur, falsa esse
ea, quæ illi hodie docent? Nihil minus. Nusquam e-
nim scriptum est, nec promissum, fideles Christi sem-
per duraturos, nec etiam, ut alicubi promissum sit,
possibile est. Satis autem est, ad demonstrandum, Lu-
theranos, Calvinistas & Anabaptistas vera docere,
si demonstrari possit, ea omnia, quæ illi hodie in reli-
gione Christiana confitentur & sequuntur, sacris
literis, quas sacras esse, nec ipsa Romana Ecclesia ne-
gare (quantumvis velit) potest, esse consentanea; ea
verò omnia, quæ hodie in Romana sunt Ecclesia, i-
isdem esse dissentanea. Quod verò illos, qui Romanae
Ecclesiæ contraria dogmata & ritus, hoc est, ipsam
Veritatem & verum Dei cultum, saltem maxima Cur Deus
ex parte, olim secuti fuerunt, Deus interim & scri- veritatē &
pta illorum perire passus est, hujus rei causæ fuerunt ejus profes-
gravissimæ, quæ soli quidem Deo potissimum cogni-
tæ sunt, nobis tamen non omnino etiam, saltem ex forores perire
parte, incognitas eas esse Deus voluit. Ideo enim hoc patitur,

Deum facere, cùm deplorata est hominum malitia, sacræ literæ non uno in loco testantur. Deinde, ut fidès illorum, qui & tunc extabant, & postea extituri essent illorum similes, tanto esset illius prior, quippe, qui non hominum multitudine, vel ipsis etiam hominibus niterentur, sed solo Deo & ejus Evangelio. Satis autem Deus occasionis dedit hominibus agnoscendi veritatem, dum sacro sanctum illud Christi Evangelium in medio hostium illius sartum tectum conservavit. Ex hoc enim omnes, qui probi sunt perpetuò ea depromere possunt, quibus ad cognoscendam veritatem & omnes errores detegendos necesse est, ut ipsa hodie (Deo est laus) experientia docet. Et hæc pauca habeat respondens ad istam defectionem, quam in Ecclesia Luther. Calvinian. & Anabapt. evenisse docet.

Nunc videamus istam durationem Ecclesie Pontificiæ. De hac igitur, postquam ita, ut paulò ante dictum fuit, interrogasset, quando scilicet fideles & satores, hoc est, Pastores legitimi defecerint, & sciret sic nos excipere posse, licet detur Ecclesiam Romanam semper durasse, inde tamen non consequi, eam veram Christi Ecclesiam esse, cùm fidem & doctrinam semel sibi traditam non retinuerit, sic ait: At ego contrà non potestis negare, in hac Ecclesia Romana doctrinam hanc aliquando sinceram integrumque fuisse. Id enim testatur ipse Paulus, dum Romanorum fidem commendat. Si ergò amissa est hæc vera fidès, cedo, quando primùm amissa est? sub quo

quo Pontifice Romano? quis primus tanti
celeris autor? Profer historias, tabellas, te-
stimonia. Estne credibile, totum orbem fu-
isse dementatum, ut id non videret quis-
quam neq; ex amicis neq; ex inimicis? *Vbi ite-
rum, priusquam ad ipsum argumentum respondeas-*
mus, hoc notandum est, legitimos Pastores eos ap-
pellari a respondente, qui nihil minus sunt, quam
legitimi. Ei enim is legitimus est, qui ad hoc munus Pastores le-
gitimi in
Papatu nom-
ordinatus est, ab alio sui simili qui vicissim ab a-
lio superiori, & is superior tandem a supremo pon-
tifice dependeat. At nihil impedit, quominus aliquis
ritè sit ab aliis ordinatus, & tamen non sit legitimus
secundùm doctrinam Evangelii Pastor, nempe,
*quia ista ordinatio non sit secundùm normam præ-
scriptam ab Apostolo. Is iuber, ut illi, qui alios doce-
re volunt, sint (ut multa verba Pauli in paucissima
contraham) *vitæ inculpatæ, & ad docendum alios* Pastores le-
gitimi qui-
apti. An verò tales fuerint illi legitimi Pastores Ec-
clesiae Romanae, dicat ipse respondens. Sane longè a-
liud testantur Historici non hæretici, sed Pontificiū,
& in aula Pontificia educati & florentes. Frustrè
igitur est, jactitare successionem quandam nudam,
*quæ ipsis propriis, quæ ad munus Pastoris constituen-
dum requiruntur, careat. Sed hoc fortasse levius est*
apud respondentem. Iam pridem enim didicerunt
nobis occinere illud pastores isti legitimi: In Ca-
thedra Mosis federunt Pharisæi & Scribæ: De loco
Matth. 23.
*Quodcunq; igitur præcipiunt, facite, secun-
dùm opera verò illorum ne facite. Dicunt**

enim & non faciunt. Quod dum objiciunt, quid aliud agunt, quam quod justo Dei judicio semetipos produnt, & quid de se sentiendum sit, suomet ipsorum ore tacite docent, nempe, se hostes esse Iesu Christi, quales erant illi, de quibus dictum est. Quodcunque præceperint, facite, secundum autem opera illorum non facite. Nonne enim (ut hoc addam) apertè constat, potuisse tunc jure id a Christo dici, cum nondum Christiana Respublica esset constituta, & duraret adhuc illa Iudaica, quæ licet, cum Christi Repub. futura comparata, valde esset imperfecta, tamen per se considerata, erat sancta, & a Deo profecta: ut scilicet homines, quia nondum conoverant Christum, audirent illos, qui legem Mosis hominibus prælegebant, quatenus scilicet illam tratabant. Præstat enim aliquam Dei voluntatem facere, quam nullam: At nunc posteaquam Christus Rex populi Dei perfectus & perpetuus evasit, & Rempublicam suam instauravit, in eaq; leges novas sanxit, nonne insanorum est, vel potius impiorum hominum, omissa Christi lege & præscripto, recurvare ad illa, quæ tunc, cum Christi Respublica constituta nondum esset, certo respectu dicta fuere. Posteriora ligant, vetus & verum dictum. Hoc igitur sequendum est, quod Christi Apostoli de constitueris Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum scriptis tradidere: illa verò quæ extra hæc afferuntur, effugia hominum, quibus veritas cælestis exosa est, & qui de sua magis, quam de divina gloria & commodis sol-

liciti

liciti sunt, censenda sunt. Sed nunc hoc amplius non exagitabimus.

Ipsam responsonem videamus, quam non tantum fallacem, sed etiam planè puerilem, & indignam istius Ecclesiae, quæ errare non possit, defensoribus dicimus. Nonné enim fallax hæc est argumentandi ratio: Tempus nominari definitè non potest, quando vera fides Ecclesiæ Romanae amissa sit: Personæ dígito monstrari non possunt, quæ tanti sceleris autores fuerunt. Ergò fides non est amissa: Ergo tantum scelus non est commissum? Itáne tantum Theologum & etiam Philosophum inertiam suam prodere non puduit? Finge tibi ereptos reverâ esse mille florenos, respondens. Iam si tu id apud me expones, ego verò fidem tibi propterea ahibere nolle, quia horam, quâ id factum sit, & hominem, qui suratus sit, & multa alia similia nominare nequeas, nonnū me te ludificari dices; & fortasse etiam indignareris, si tibi iteranti mille florenorum jactaram, fidem nihilominus ob ignorantem istarum circumstantiarum denegarem? Dices enim, quādo id factum & quis tanti sceleris autor sit, equidem nescio: at me pecuniam meam non habere, optimè scio. Essetne ideo furtum, non furtum, quia iste circumstantiae nescirentur? An non ipsa res, quod scilicet mille florenis destitutus essem, furtum demonstrare? Idem etiam de hac nostra controversia existimat. Conquerimur ereptam nobis esse veritatem introductam idolatriam, invectos errores, relegatam pietatem, ostendimus, dígito monstramus, & partem

*Sophista
crassus
Miedzib*

aliquam non negant illi ipsi, quibus id objicimus, nempe, quod ad pietatem attinet. Urget adversarius: at non potestis ostendere, & digito monstrare, quando id factum sit, & quis tanti sceleris autor. esto. sed rem ita se habere manifestū est. Iam si illud suum urgere pergit, quomodo non indignetur, vel potius non admiretur tantam hominum perversitatem homo probus, & cui veritas cordi est? Satis igitur est, demonstrare corruptam esse religionem, doctrinam, & mores Romanae Ecclesiae, & nihil eam ferē cum ista, quæ Apostolorum tempore florebat, commune habere, etiam si ista definitè ostendi nequeant, quæ adversarius urget. Certum quidem est, tūc sciri corruptam esse doctrinam, si sciatur tempus, quando id factum sit, & personæ, qui autores istius corruptionis sint: At non vice versa, si nesciatur tempus, quando corruptio facta est, & personæ, qui ejus autores fuere, continuo ignoratur, corruptionem doctrinæ esse factam. Alia enim sunt eaq; majoris momenti, unde corruptio ista apparere potest. Ex quibus primum est, si constet, doctrinam, quæ nunc prædicatur, vel adversam esse doctrinæ, vel diversam ab ea, quæ scriptis Apostolorum continetur. Hanc enim verissimam esse nemo Christianus negat. En igitur tabulas, en testimonia in genere, respondens, quæ alibi latius a nostris explicata sunt. Quid vis amplius?

Vnde corruptio doctrinæ cognoscenda.

Ridiculus autem est resþ., qui interroget, sub quo Pontifice Romano amissa sit fides vera, quas si scilicet semper Pontifices Romani fuerint, & non aliquot post

Post Christum seculis demum Episcopi Romani eum sibi titulum usurpare cōperint? Voluit scilicet aliud agendo, Papæ primatum afferere, sed jam tempus hominibus imponendi his rebus transiit.

A dea, quæ addit, Estnē credibile totum orbem fuisse dementatum, ut id non videret quisquam neque ex amicis neque ex inimicis, hæc habeat. Primum fieri potuisse, ut multi amici viderint & doluerint, monere tamen ea de re noluerint. quia scilicet viderent, frustrâ se id facturos, consciâ arrogantiæ istorum, qui errorum autores & promotores erant: Dico iterum, fieri etiam potuisse ut viderint & monuerint, & tamen nihil effecerint, oppressi scilicet ab his, quos monuerant. Sic enim ita faciunt, quibus magis sua ipsorum, quam Dei gloria curæ est: Omnia susq; deq; habent, dummodò sententia ipsorum obtineat. Inimicus vero, si vidit, nonnē in sinum ridere potuit, & alieno malo insultare, nedum ut moneret? Adde, quod etiam si monuisset, nihil procul dubio effecisset. nam, qui non curat amicorum monita, quomodo curet inimicorum? Solemus ista libenter probare, quæ inimici nostri improbant, & nimis candidum & probum eum esse oportet, qui admonitionem inimici etiam curet. Tales autem tunc fuisse Pontifices, cum vera fides amissa fuit, nobis non sit verisimile. Dico amplius, fieri etiam potuisse, ut nemo neg, ex amicis neq; ex inimicis id viderit. sunt enim Dei iudicia mirabilia, qui, quando vult, ut pereant illi, qui veritatem non diligunt, eos ita excœdat, ut a nemine moneantur,

*Infirmitas
argumen-
torū Mie-
dzib.*

tur, ne aliquam ad Deum sese convertendi occasio-
nem habeant, & ita sanentur. Dico denique, vidisse
& amicos & inimicos. Quid enim aliud docent iste
controversiae, quae inter Episcopos Ecclesiarum per
longum tempus durarunt, antequam Romanus pri-
matum sibi vendicavit, quam amicos vidisse aliter
rem geri debuisse? Defectio vero Mahometis,
nonne nimis aperte docet, vidisse eum hoc, quod
Christianareligio esset corrupta, & ideo aliam sibi
hominem impurum confinxisse? Viden quam faci-
lē, quam multa dici possint, & multò plura dici pos-
sent, nisi brevitatis esset habenda ratio, adversus i-
sta, de quibus hactenus disseruisti. Frustrā igitur
Imprudē-
zia Miedz. est, quod aīs, Ad hæc vos ne hiscere quidem
potestis. Quæ verba tibi ita imprudenter exci-
disse miror, cum totum hoc, quod hactenus tra-
etas, aliis, quæ objicitis ad defendendum vestram
Ecclesiam, sit longè infirmius & futilius, & pu-
erum esse oporteat in rebus divinis, qui se isti nugis
extricare nequeat.

Pergis autem & aīs: Tantummodò cla-
matis, Ecclesiam Romanam adulterâsse do-
ctrinam Christi. Parumne igitur tibi hoc vi-
detur, si jure id de Ecclesia Romana proclametur, ut
Impuden-
zia Miedz. addas Tantummodò. Ego vero credo, si hoc de
Ecclesia Romana dici jure possit, universa mala &
peccata de ea dici, & hoc ipso demonstrari apertissi-
mè, eam non esse veram Christi Ecclesiam. Sacrilegium
enim hoc est omniū terrarum, quod nemo nisi An-
tichristus unquam tentavit, doctrinam scilicet Chri-
stij

sti saluberrimam, sanctissimam, castissimam adulterare.

Sed dices: Frustrà hæc clamatis. Addis enim:

Ethoc non aliter probatis, quām torquen- *Calumnia*
do Scripturas ad vestrum institutum. Nihil *Miedzib*,
hoc stultius, & calumniæ etiam vicinius de illis o-
mnibus dici potuit, qui Pontificiæ Ecclesiæ valedixe-
runt. Sic scilicet admiratur suam Ecclesiam respon-
dens, & ejus Doctores, ut præ illis contemnat omnes,
qui extra illam fuerunt hoc seculo, & etiamnū sunt
viri multiplici eruditione & doctrina præstan-
tissimi, ut tantam eis inscitiae notam inurere eum
non pudeat. Non cum fungis rem vobis fuisse & es-
se satis experti estis. Non sic igitur, non sic probamus
Ecclesiam Romanam adulterasse doctrinam Chri-
sti, quia torqueamus Scripturam ad nostrum insti-
tutum: sed docemus, sacras literas a vobis non tan-
tum ad sensum alienum, sed etiam ad errores gra-
vissimos & blasphemias horrendas detortas esse, idq;
sic: Ostendimus ex sacris literis, loca manifestissi-
ma, clarissima, eaq; interdum plurima, quæ dogma
aliquid Christianæ religionis evidentissimè probant
& demonstrant, adeò ut nec pertinacissimus, id, quod
volumus, in illis locis contineri, negare audeat. Hoc
facto, afferimus dogmata vestra Pontificia ad ista lo-
ca tanquam ad Lydium lapidem, & docemus, ea nul-
lo modo stare posse,stantibus istis sacrarum litera-
rum locis. Itaq; non torqueamus Scripturam ad no-
strum propositum. nos enim nullum propositum ali-
ud habemus, quām ex sacris literis discere simpli-

Quomodo
doceant no-
stra Eccle-
sia, Roma-
næ Ecclesiæ
sacras lite-
ras adulte-
rassse,

etem Christianæ religionis veritatem: sed docemus, Scripturam a vobis ad vestrum propositum summa vi
& injuriâ detorqueri, & multò magis ex sacris literis docemus, nulla dogmata & ritus Ecclesiarum vestrarum correspondere iisdem sacris literis, quām ut aliqua nostra dogmata statuamus.

Illustratio
per exem-
pla.

Exempli causa: Praecepit Deus, ne ullam rerum creatarum imaginem faciamus, aut ei serviamus. Hoc tenemus firmiter. Est enim a Deo traditum apertissimè, & infinitis pñè in locis repetitum. Itaq; rejicimus vestras istas Idolatricas opiniones de Invocatione sanctorum, & Virginis Mariæ: & adoratione istius hostie sacramentalis: & summum Deum gravißimè blasphemare vestros sacrificulos affirmamus, dum illud muſitant, Non est panis, sed est Deus, homo redemptor tuus: & cùm dicere non erubuerunt, Omnis sacerdos est creator sui Creatoris. Legimus in sacris literis fide in Iesum Christum deleri peccata nostra. Abhorremus igitur a vestris istis Idolatricis superstitionibus, dum alios mille modos, quicum fide in Christum nihil commune habent, confinxisti, quibus istud beatum remissionis peccatorum beneficium, obtineri posse somniatis. Audimus, Vnum esse Dominum Iesum Christum, unum esse Magistrum in cœlis, nos omnes esse fratres. Hic igitur fortissimè tenentes verba Spiritus sancti, docemus Papam non sine gravi blasphemia, sese Christi vicarium appellare, qui statuendi quidvis in religione Christiana, & conscientius etiam leges figendipotestatem habeat. Legimus u-

num esse Deum: legimus illum unum Deum esse illum Patrem, ex quo omnia. Itaquia confisi his sacramentorum literarum locis apertissimis, rejicimus istum crassum errorem, Deum unum tribus constare personis: cum constet, Patrem ex quo omnia, non esse tres personas. Legimus, unum esse Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum: per hominem esse resurrectionem ex mortuis: Filium hominis habere potestatem judicium faciendi, quia filius hominis sit. Hec tenentes fortissime, probabilius habemus id, quod dicitur, Iesum Christum extitisse antequam e virgine Maria nasceretur. Legimus, idque repetitum clarissime in omnibus sacrarum literarum, praesertim verò novi Fœderis locis, non omnem, qui dicit, Domine, Domine, intraturum in regnum cœlorum, sed eum, qui facit voluntatem Patris, qui est in cœlis: sine sanctimonia neminem Dominum visurum: Itaquia hæc loca clarissima & toties repetita tenentes, rejicimus omnia illa dogmata, quorum numerus ferè infinitus est, quæ efficere possunt, vel potius efficiunt, quo minus homines pietati, vel quominus veræ & Christianæ pietati studeant, sed loco pietatis speciem pietatis (quâ nulla in religione Christiana pestis major) sectentur, virtute ejus interim abnegata. Hic, hic, est modus, bone respondens, quo nos probamus Ecclesiam Romanam adulterasse doctrinam Christi, quem vos declinare nullo modo potestis, nisi ferro & igni, ubi id vobis licet, illos tollendo, qui ita res urgent.

Ineptissime igitur addic in tua responsione hæc verba,

Defensionis tractatus

94

verba, Quæ ratio, si valet, non video, cur Manichæis, Nestorianis, Eutychianis, non licuerit etiam Romanam Ecclesiam damnare, cùm & illi quoq; Scripturas afferrent, quos tamen ipsos vos quoque hæreticorum loco habetis. Primum enim nos non sumus pares hac in re istis, quos nominat respondens. De illis enim ait, eos quoq; Scripturas artulisse. at nos non tantum Scripturas afferimus, sed ex illis eas excerpimus, vel etiam colligimus sententias, que vestris dogmatibus, vel ex diametro repugnant, vel cum eis convenire

Non sunt similes Evangelici hæreticis.
Christi spiritus neminem facile damnat.

nullo modo possunt. Deinde ita loquitur respondens, ac si omnes illi, qui cum Pontificiis de Ecclesia, ubi & apud quos sit, controvertunt, ejusdem sint spiritus in damnandis illis, qui in quibusdam Christianæ religionis particulis errârunt. Non tam faciles sunt ad judicandum omnes illi, qui Pontificatum impugnant, nec est is statim hæreticus, qui aliqua in re errat: sed, qui vel totam religionem Christianam, vel partem ejus talem, sine qua fides in Deum & Iesum Christum, & obedientia præceptorum Christi consistere nequit, repudiat, is demum pro hæretico habendus est. Hoc vero non ideo dicimus, quod istis, quos nominat adversarius, patrocinari velimus. non est enim dubium, quin graviter errarint, & hæretici etiam fortassis fuerint, si modò testimonio eorum, qui ipsorum capitales hostes olim fuerunt, standum est: sed ut istum Antichristi spiritum digito monstremus, qui aliud nihil, quam hæresin objicere potest eis, qui ab ipso dissentient, ut ita occasione habere

bere videatur odio prosequendi, & bonis vitaq; pri-
vandi eos, quos tales ipse judicavit, quod tamen to-
tum ita analogie Christianæ religionis repugnat, ut
vix aliquid magis.

Sed jam cum respondentे, qui a re proposita
digressus fuerat, digressi & ipsi, ad notas redeamus,
ex quibus respondens affirmat Ecclesiam Christi co-
gnosci posse & debere, contrà, quam affirmat anonymus.
Vbi quemadmodum respondens suam Philoso-
phicam scientiam prodere voluit, insignem nos eum
fallaciam & astutiam, eamq; multiplicem, prodi-
disse, & Sophistam merum esse, statim ostendemus.
Id vero, ut rectius fiat, verba anonymi, quae ipse eti-
am respondens ascripsit, hic repetenda sunt, quae sic
habent: Ex notis quibusdam velle cognosce-
re Ecclesiam, non autem ex eo, an habeat
profiteaturq; doctrinam Christi salutarem,
perinde est, ac si quis hominem cognosce-
re vellet, non ex eo, an sit animal rationale,
ac mente præditum, sed ex quibusdam ex-
ternis, & ad hominis essentiam ipsam mini-
mè pertinentibus. Hæc verba anonymi postquam
recitasset respondentēs, addit iisdem literis, quibus
verba præcedentia anonymi impressa sunt, hæc pau-
ca: Id autem esse ridiculum. ac si anonymous ita
locutus fuisset: cum tamen anonymi verba, in quibus
ridiculi istius fit mentio, non sint ea, quæ jam sunt
recitata, sed alia sequentia, nempe hæc: Et sanè,
quemadmodum ridiculum esset, si quis, cum
dubitaretur, an quoddam Individuum (ut
loquuntur)

Fallacia
& astuties
Miedzibz

loquuntur) eslet homo nec né, ex externis
quibusdam quantumvis hominis propriis,
id hominem esse demonstrare vellet, & inter-
rim adversario, ostendenti non esse id ratio-
ne & mente præditum, respondere neglige-
ret: sic ridiculum omnino est, cum Pontifi-
cii volunt, ex ipsis Ecclesiæ notis demonstra-
re, apud se Ecclesiam esse, & interim respon-
dere nobis negligunt, qui in promptu habe-
mus ostendere ipsos doctrinam salutarem
non habere. Nam si vel unum aliquod do-
gma vel ritum in rebus ad salutem æternam
necessariis, apud ipsos esse docuerimus, di-
vinis testimoniis contrarium, jam satis osté-
sum erit, eos Christi salutarem doctrinam
minimè habere, &c. Viden', benigne lector,
quām manifestam fallaciam & astutiam cōmiserit
hic respondentis, ea verba, Id autem esse ridicu-
lum, quæ ad sequentia pertinent, ad præcedentia
per vim pertrahendo, ut scilicet occasionem habe-
rettant ampliorem, errorem defendendi, & in a-
nonymum invehendi. Frustra igitur est, quod re-
spondet, Non est ridiculum, bone vir, cognoscere aliquam rem ex signis propriis, nisi
fortè ridicula tibi videatur Demonstratio,
in qua ostenditur, causa ex effectu. Nusquam

*Apertis E&G enim negavit anonymus (& hæc est altera astutia
fallacia respondentis) ex signis vel notis propriis
rem aliquam posse cognosci, ac multò minus ait, id
esse ridiculum. Sed hoc affirmat, ridiculum esse, si
qui,*

quis, cùm dubitetur, an quoddam individuum sit homo necné, ex externis quibusdam, quantumvis hominis propriis, id hominem esse demonstrare veller, & interim adversario, ostendenti non esse id ratione & mente præditum respondere negligeret, quod faciunt Pontificii, quando cum illis disputatur de Ecclesia, ubi, sive apud quos sit. Atqui hoc est longè aliud. Illud, quod respondens affingit anonymo, dictum est simpliciter: hoc verò, quod anonymous ait, dictum est secundūm quid. Sensit hoc respondens procul dubio, ideoq; verba anonymi sequentia, que paulò ante asscrispimus, sicco pede transire maluit, quam sese, illa refutando, intricare. Cùm enim proprietates sequantur rem, non constituant, quid juvat hujus vel illius rei proferre proprietates, & interim ad ea non respondere, quibus probatur, definitionem ei rei non competere, quam esse ex illis signis & notis probatur? Certè talis disputator risum meretur apud omnes doctos.

Notandum autem hic est, pro concessō sumi, quod constet, ad essentiam (ut sic loquar) Ecclesie constituendam requiri, cognitionem doctrinæ salutaris, hoc est, Ecclesiam sine ea esse non posse. hoc enim nemo negat, nec negare quisquam meritò potest. Quenam enim hæc Christi Ecclesia est, quæ salutarem doctrinam non haberet? Itaq;, quæcunq; addit respondens, quibus de demonstrati- Fallacia
one disputat, ea & sponte sua corruisse videntur; & Miedzib-
ralia sunt, quæ manifesta & crassa & equivocatione
laborant. nam cùm anonymous non affirmet, ridicu-

Eum esse, cognoscere aliquid ex notis propriis, non affirmat quoq; ridiculā esse demonstrationem a posteriori. Porro, quid juvat respondentem objicere anonymo, eum non debuisse appellare scriptum suum de Ecclesia, Demonstrationis nomine, cūm ostendere ex his, quæ sunt de essentia illius, non sit demonstrare, sed definire? Quid hoc aliud est, quam verbis ludere? Ne somniavit quidem anonymous, cūm tales isti suo scripto titulum ficeret, de illa Aristotelis Analytica demonstratione; sed vocabulo Demonstrationis usus est, pro probatione: in qua significacione omnes (ut puto) latini scriptores vocabulo isto uuntur.

Omissis itaq; istis scholasticis contentionibus, quas hic respondens, cūm sua ipsius umbra pugnans, movet, pergamus ad alia, quibus ita hanc rem concludit. Itaque non est quod ad essentiam confugas, cūm Ecclesiam ubi & apud quos sit, queris & indagas. Vbi hic iterum aliud tacite affingit respondens anonymo, vel nimis astutè, vel parvum scitè, nempe eum statuere, Ecclesiam esse ex eo cognoscendam, quod essentiam ejus constituit, vel, ut ipsius verbis utar, ad essentiam esse consilium, cūm queritur & indagatur, ubi, & apud quos sit Ecclesia. Credidit scilicet proculdubio, sibi cum eo rem esse, qui doctrinam salutarem habeat pro nota Ecclesiae, ut ex ipsius verbis, quæ paulò inferius scribit, videre est, dum inter alia ait: Pontificios non communes afferre notas, qualis est utique salutaris doctrina, quam sibi omnes se-

Astasia
Caeligno-
vatiamie-
dzib.

ctax

Etæ vendicent, & (ut agnoscas spiritum Pontificium & Antichristi) quā tanquam esca quadam stultas aves in sua retia pertrahere co-nantur. *de quo paulò post.* Qua in re tamen eum falsum fuisse, mirum videri debet. Tantum enim abest, ut *anonymus* id affirmet, ut potius in hoc suo scripto apertè contendat, cognitionem Ecclesie, ubi & apud quos sit, esse vel supervacaneam, vel saltem non necessariam. Qui verò hoc affirmat, quid curet notas, ex quibus Ecclesia cognoscatur? Hoc verò perpetuò urget *anonymus*, *indagandam & cognoscendam* tantum esse salutarem doctrinam, quā cognitā, ubinám sit Ecclesia, non admodum esse curandum, ut pote quoddīs, qui doctrinam salutarem cognitam habet, hoc ipso jam sit in Ecclesia, & hoc ipso nōrit, ubi & apud quos ea sit.

Hic jam ulterius, ut campum differendi ampliorem haberet respondens, aliquid ipse comminiscitur, & sic *anonymum* alloquitur: Quamvis, quid te hac in re refellerit, video. Putas, nos cùm de Ecclesia disputamus, querere, quid sit Ecclesia, & ideo vis eam, per ea quæ constituant essentiam, cognosci. Sed erras, bone vir. Non agitur, quid sit Ecclesia, sed ubi & penes quos sit: id autem ex signis cognosci debet, &c. Vnde verò vidit respondens, *anonymum* putare, cùm disputatur de Ecclesia, queri, & astutus quid sit Ecclesia? Sanè satis apertè in ipso scripti sui titulo *anonymus* ostendit, quae de re sibi controversia esset cum Pontificiis, idq; idem in eodem scripto suo,

quoties hujus conclusionis mentio incurrit, satis crebro inculcat, quæstionem, de Ecclesia quænam, sive apud quos sit, non esse necessariam. Novit igitur anonymous, qua de re quæstio sit, nec ista institutio ne respondentis ullo modo opus habuit. Sed ita placuit respondenti quæstionem pro suo libitu formare, ut, quia anonymum sequendo, quod volebat, impetrare non poterat, seipsum sequendo impetraret. Quanquam non video, quomodo tandem illud vitare possit respondens, quominus ad definitionem Ecclesiæ perveniatur, etiam si queratur, ubi & penes quos sit Ecclesia. Affirmamus nos, Ecclesiam Christi visibilem aliud nihil esse, quam cætum hominum salutarem Christi doctrinam amplectentium & profitantium. Hoc si neget respondens, causas afferat necesse est, quibus id falsum esse probet, quod in hac definitione continetur. Iam, si queratur, ubi nám & apud quos sit ista Christi Ecclesia visibilis, certum est, eum rectissimè procedere, qui affirmet, ibi esse Ecclesiam veram, ubi est doctrinæ salutaris professio; & frustrà eum contendere Ecclesiam, ibi esse, ubi non est salutaris Christi doctrina, quidquid tandem aliud dicatur, ad probandum ibi esse Ecclesiam. atq[ue] ita ex eo, quod constat, quid sit Ecclesia, hoc deducitur, nempe ubi non est definitio, quæ Ecclesiæ competit, ibi nec definitum esse posse.

Obtrudit hic illud suum respondens, ex signis Imprudētia Miedz. Ecclesiam, ubi & penes quos sit, cognosci debere, ad modum imprudenter vel inscitè. Putat enim ita extare signa propria Ecclesiæ, ut extant signa propria hominis.

hominis. Putat etiam, dato eo, quod possint esse aliqua Ecclesiæ signa vel note, ea, quæ ipsius Ecclesiæ confinxit, signa, ista esse; interim verò non videt, se gravissime in hoc utroq; errare, ad quod ipsum anonymous in scripto suo jam responderat, & quod respondenti solvendum incumbebat, si rei suæ bene consultum voluisse. Sic enim ait fol. 4. anonymous: Negamus, evidenter extare consignatas in sacris literis Ecclesiæ notas illas, quas ipsi (Pontificii) intelligunt. nec mirum. cùm nihil per se sit necesse inquire & agnoscere veram Ecclesiam, & notæ, quæ in nostros sensus incurant, & de quibus an sint necnē dubitari nequeat, omnino poterunt esse communes. Ecclesiæ etiam non veræ, id est, minimè doctrinam salutarem Christi habenti. Quod si ejusmodi sint, de quibus nec nō, adsint, dubitari queat, adeo, ut divinis testimoniois sit opus, ad utrumvis probandum, quomodo, quæso, istæ poterunt notæ appellari? Et certè suspicione non caret, quod respondens, qui ad scriptum istud anonymous respondere sibi proposuerat, tam multa omiserit, quæ nec uno verbo tetigit, quibus tamen non solutis, ipsius refutatio planè nullæ censenda est, ut pote quæ sint probationes & rationes firmissimæ, quibus sententiam de Ecclesia Pontificiorum anonymous oppugnat. Quod non semel respondentem commisisse is videbit, qui hanc responsionem cum scripto anonymous contulerit.

Sed hoc omisso, quomodo verum est, ex signis
vel notis cognosci debere Ecclesiam, ubi & penes
quos sit, cum notæ nulle extant, nec extare etiam
possint, quæ ita mereantur appellari? Quia enim æ-
què incertum est, an sint notæ veræ Ecclesiæ, quas
Pontificii intelligunt, quomodo per incertum, incer-
tum probari potest? Nam qui dubitat, ubi & apud
quos sit Ecclesia, is etiam dubitat, ubi sint illæ notæ
Ecclesiæ, si quas habet. Quæ enim mutuò se conse-
quentur, & quæ sibi invicem indissolubiliter sunt
annexa, & quæ ignorantur. Qui enim est, qui conces-
sis alicujus rei proprietatibus, non concedat esse i-
psam rem, & contra? Itaq; exempla, quæ assert de
auro, nullius planè sunt valoris. Hic enim conceditur
esse aliquas auri proprietates, de quibus nemo dubi-
tat eas esse auri proprias, quod in questione de Eccle-
sia non sit. Ibi enim negatur tales notas esse. Vbi non
est silentio illud prætereundum, quod Pontificii nun-
quam hoc probant, an sint aliqua notæ Ecclesiæ, sed
tantum, quænam sint vel esse possint ex ipsorum
sententia, probare conantur, ac si jam constaret in-
ter omnes, extare notas, & necesse esse ut extant.
Quod vero exemplum de homine retorquet, in eo
vel fallitur ipse, vel fallere alios cogitat. non enim
ita questionem format quemadmodum formanda
est, vel quemadmodum anonymous eam format. Si
de individuo aliquo quereretur, num sit homo nec-
nne, parùm quidem recte responderet, qui isto mo-
do responderet, quem respondens singit, nempe il-
lud individuum idcirco esse hominem, quod sit men-

Note Ec-
clesia nul-
la sunt.

re prædictum, cùm plura dentur individua, quæ ratione prædicta sunt, & tamen non sunt homines, nec unquā ita loquitur anonymous: at is optimè responderet, qui diceret, hoc individuum non est ratione & mente prædictū. Itaq; homo nō est. & etiam si tandem aliquis urgeret: at ridet, admiratur, aliasq; actiones homini proprias exercet, istamen nihil proficeret, nisi etiam ostenderet, illud individuum esse ratione prædictum. Quanquam mirari satis nequeo, cur respondens dicat, ex eo, quod individuum sit mente prædictum, non cognosci illud esse hominem; cognoscere tamen ex eo, quodā rideat & admiretur. quasi querenti non æquè sint dubia ista ac illud, sitne hoc individuum homo. Qui dubitat, esse aliquid individuum hominem, dubitat etiam illud ridere, admirari, præsertim si sciat hominis proprias esse hanc operaciones. alias nulla esset dubitatio.

Objicit respondens, eum, qui dubitat, an hoc individuum sit homo, æquè dubitare, an sit mente prædictum. Atqui ego ajo, non semper ita rem se habere. Nonne definitio est notior ipso definito? Nec obstat, quod dicat respondens & alii, peti principium, quoties definitum per definitionem probatur. Nam, ut petatur principium, non id præcipue & perpetuò facit, si idem per idem probetur, sed si ignotum per ignotum probetur. Iam ad syllogismum conficiendum satis est, si ex notis ignotum inferas, sive idem per idem probetur, sive non: quinimò semper præmissæ idem esse videntur cum questione seu conclusione. Et sane, si definitum a definitione pro-

bari non posset, inutilis esset locus de definitione: inutilis & illa verissima non minùs, quam vulgatissima regula: tum duo eadem esse inter se, cùm unius tertio idem sunt. Applicemus hæc ad quæstionem de Ecclesia. Quæstio est, ubi, & apud quos sit Ecclesia? quam Pontificii moverunt adducti rei summa necessitate. Hic nos, non respondemus, quod audacter affirmat respondens, apud nos esse Ecclesiam, idq; ideo, quia apud nos sit salutaris doctrina (quamvis ita rem se habere sentiamus) idem per idem probantes. Sed Pontificii sunt, qui affirmant, penes se esse Ecclesiam, quod nos negamus, propter hanc

Non est Ecclesia, ubi non est salutaris doctrina.

potissimum causam, quod eis non competit veræ Ecclesiæ definitio, quæ est, quod non habeant salutarem Christi doctrinam, sine qua Ecclesia Christi nulla ratione, vel ipsis adversariis testibus, consistere potest. Hujus nostræ argumentationis vim declinare illi volentes, ad notas confugiunt, quas nos non recipimus, propterea, quia frustra sit notas ostendere, ubi aperte constat, non adesse id, quod ad constitutandam rei essentiam pertinet, & pertinere omnibus Christianis notum est. Quanquam etiam ipsas notas falsas esse dicimus, & tandem nullo modo necesse esse, ut extant notæ Ecclesiæ, quia non sit necesse, ut cognoscatur Ecclesia; sed tantum necesse est, ut salutaris Christi doctrina cognoscatur. Hac agnita, jam totum id habemus, quod nobis necesse est. Afferant igitur, quas velint, notas Pontificii, nihil proficiunt, nisi probent duo. Primum est, necesse esse, ut agnoscatur Ecclesia. alterum est, veras esse notas,

quas

quas ipsi afferunt. Quod quia minimè probat respondens, non est, quod quicquam amplius hic immoremur. Verba enim illa sunt, quibus de sua predicat ecclesia, quam recte faciat in illis notis afferendis.

Hoc verò prodit iterum atq; iterum inertiam respondentis, quòd per vim velit anonymum afferre pro nota Ecclesiæ, salutarem Christi doctrinam, quam communem esse respondens ait. Quo vix aliquid a re alienius dici ab eo potuit in hac responsione, & certè ipse respondens sibi parùm constat. Agnoscit enim, anonymū doctrinam salutarem statuere pro re, quæ ad essentiam ecclesiæ pertinet. Quomodo igitur eandem pro nota afferret? In eo verò, quod addit, omnes sectas sibi salutarem doctrinam vendicare, idq; tacitè reprehendit, planè se prodit, quām sit ineptus, qui id improbet, quo nihil magis probandum esset, si id fieret. Non id reprehendendum esset, quòd omnes sectæ salutarem doctrinam sibi tribuant, sed hoc, si injuriā eam sibi tribuerent. Et ut ut hac in re a quibusdā errari possit, multò tamè tolerabilior illorum est error, qui hoc faciunt, quām istorum, qui quantumvis salutarem doctrinam non habeant, vel pro talibus saltem, qui eam non habeant, ab aliis proclamentur; velint tamen propter alias notas sibi id usurpare, quòd sint vera Christi Ecclesia. Et certè omnes illi, quicunque sibi salutarem doctrinam tribuunt hodie, puta illos, quicunque Pontificiæ Ecclesiæ renunciârunt, jure id faciunt, cùm proculdubio eam habeant, licet aliis

aliis perfectiorem & politiorem. Et si omnes hac una in re aliter procederent, ut istam salutaris doctrinæ cognitionem, non pro nota veræ Christi Ecclesie, sed pro re, quæ ad essentiam Ecclesie Christi pertinet, haberent, & istas labyrinthicas de ista ecclesia, et supervacaneas quæstiones relinquenter, rectissime cum Pontificiis agerent, & victoriæ sibi perpetuam polliceri posset.

Illud denique, quod salutari doctrinâ omnes sedetur, tanquam esca quadam stultas aves in sua retia pertrahere conantur, planè dignum est homine Romanæ Ecclesie emancipato. Hec enim nihil ægrius serre potest, quam ad doctrinam salutarem homines revocari ab isto ecclesiæ ipsorum monstro. Sed quæso, respondens, potestne aliquis salutari doctrinâ, tanquam esca quadam stulta avis, in retia pertrahi, hoc est, seduci? Atqui hoc est Spiritui Dei maledicere. Vos vero estis, qui spreta salutari Christi doctrina, quam vos solam profiteri nec ipsi affirmare auditis, & qui inviti ad istam palestrâ trahimini, istâ vestrâ Ecclesiâ, & notis illius fictis, homines tanquam bruta animalia rationis expertia rapitis, & præcipites in æternum exitium agitis. Nam quid est aliud, quod hodie faciunt Iesuitæ, & sacrificuli, dum unum Pontificem & ecclesiam Romanam ad cœlum usque extollunt, & obedientiam illi præstandam tam superstitione exigunt, ut satis id esse dicant ad salutem consequendam, etiamsi in quibusdam partibus religionis Christianæ, diversum quis ab Ecclesia vestra sentiat, quam hac ratione eos inescare, adhibi-

Impudentia & ignorantia Miedzib.

Pontificii Ecclesiâ suâ homines inescat.

tis præsertim, ut quidam ajebat, argumentis illis aureis & argenteis, ut contra omnem rationem Ecclesiæ vestræ sese aggregent? Hoc postquam fecerunt, tandem pedetentim eos ita erudiūt, ut brevi mancipia eorum evadant, eosq; ut mancipia tractant, præcipientes illis, quod eū & ecclesiæ videtur, hoc est, omnium teterima & abominabilissima. Plura non addo, nota enim loquor, non tantum nobis, verū etiam multis Pontificijs, quorum probitate & candore isti homines abusi sunt. Sed competit hanc licentiam tandem sceptro suo regio Dominus Iesus Christus.

Sic hactenus respondens de notis istis Ecclesiæ, affingendo anonymo quicquid ei libitum fuit, disseruit. Sed cum videret, rem nondum esse consecutam, aliam sibi ipsi format objectionem, & eam anonymo affingit, & cum eo ad satietatem usq; pugnat. Quod ut appareat, verba ejus sequentia ascribam: Verum tu urges, ait, adhuc, notas hasce, quas Catholici assignant, si veræ sunt, debere ex Scriptura depromi. Quod si ita est, prius igitur cognoscendam esse scripturam, & quod ex eo sequitur, notiorem esse quam Ecclesiā, ac proinde hanc ex illa, non contrā, ostendi debere, nisi velimus eodem tempore & notiorem esse & ignotiorē, quod, ut aīs, implicat contradictionem. Vbi, priusquam ali- Non cam
quid respondeatur, candorem in respondentē jure
desidero. Primū enim bonam partem verborum,
& in eis argumentationem, quam anonymus insignem
didi agit
Miedziba

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ errorem ostendit, omisit, & tamen respondisse ad scriptum vult videri. Sic enim habet scriptum: Etiam si, ut doctrina Christi salutaris in vera Christi Ecclesia sit, necesse est; nō tamen cuiquam præscriptum est, ut eam a vera Christi Ecclesia petat, (quod nimis pertinaciter contendunt Pontificii) cuius rei non alia ratio est, nisi quia futilis planè & ridicula ac præpostera esset præscriptio ista: cùm ad ejusmodi Ecclesiam agnoscendam, necesse sit priùs cognoscere, quænam sit Christi salutaris doctrina. quæ doctrinæ, cùm ex divinis, & sic sacrarum literarum testimentiis omnino sit petenda, hinc necessariò consequitur, rationem intelligendi & explicandi sacras literas, non esse, ad Ecclesiæ judicium configere. alioquin necesse esset, Ecclesiam esse cognitam, antequam illud cognitum esset, unde ipsa cognosci debet. Quod non modò longè absurdissimum est, sed manifestam etiam implicat (ut loquuntur) contradictionem. eodem siquidem tempore & cognitam, & non cognitam esse Ecclesiam facit. Nonné in his verbis continetur aliquid magni momenti in hac de Ecclesia questione? Nonné hoc respondens in responsione hac sua satis etiam apertè innuit, ab Ecclesia esse petendam salutarem doctrinam Christi, & tamen susq; deq; ista habet, nec quicquam ad ea respondet? Sic scilicet illi faciunt, qui victoriam querunt, non veritatem.

ritatem. ea, quæ cavillis suis exposita esse videntur, arripiunt, & mirè tractant, reliqua silentio involvunt, quæ tamen æquè controversa, vel ipsorum causæ nimis contrariæ sunt. Candidus homo, ad omnia, quæ sibi objiciuntur, si possit, respondet: si non habet, quod respondeat, non silet, sed errorem agnoscendo, veritati cedit. Deinde, ubinam leguntur illa verba apud anonymum, aut unde ille sensus colligi potest, nisi velimus Ecclesiam eodem tempore & notiorem esse & ignotiores, quod implicat contradictionem? Nonne hæc est inertia, aut fallacia, aut astutia respondentis, qui ut habeat, quod regerat, subinde verba anonymi mutat, & ea illum dicentem facit, quæ ne somniavit quidem, nempe Ecclesiam fore eodem tempore & notiores & ignotiores, & hoc implicare contradictionem. Quod si ficeret, nœ ille cum respondere deliraret.

Nec est, quod dicat respondens, se non ad hæc verba anonymi, sed ad alia sequentia respondisse, quæ sunt: Eadem absurditas apparebit, etiamsi concedetur, non ex salutari Christi doctrina, quam habeat & profiteatur, sed ex notis quibusdam Ecclesiæ propriis, ipsam Ecclesiam cognoscendam esse; cum, ut antea dictum fuit, si notæ istæ certæ atque indubitatæ esse debent, id est, ejusmodi, ut ex illis Ecclesia Christi vera certò cognoscatur, necesse sit illas ex ipsis sacris literis petere. Itaque quocunque te vertas, absurdissimum

*Affingit
falsa ano-
nymo Mie-
dzib.*

simum planè est, statuere, sacrarum literarum interpretationem ab Ecclesia petendi esse. Non est, inquam, quod dicat respondens, se ad hæc verba respondisse. nam in his nihil diversum est, quod ad argumentationis modum attinet, ab eo, quod est in superioribus, nempe inde consecutum, Ecclesiam esse cognitam, antequam id cognitum esset, unde ipsa cognosci debet, hocq; implicare contradictionem: quippe quod eodem tempore & cognitam & non cognitam esse Ecclesiam facit. Videlicet hoc robur hujus argumenti respondens, ideoq;, ut aliqua saltem ratione respondisse videretur, loco cognitam & incognitam, quæ directam faciunt contradictionem si eodem tempore de una re dicantur, non dubitavit supponere notiorē & ignotiorē, quæ nullo modo per se faciunt ullam contradictionem. Nihil enim impedit, quominus res aliqua eodem tempore sit notior & ignotior: at ut eadem res sit & cognita & incognita eodem tempore, unum est ex impossibilibus. Videat igitur benignus & probus lector, an jure candorem primum in respondente desideraverim.

Nunc, quamvis, quomodo directè respondere possim, non sit: (quis enim homini adeò perficitæ frontis responderet, nisi, qui eum in vana de se ipso persuasione confirmare vellet?) tamen, quia fortasse fieri potest, ut per inscitiam illud fecerit respondens, quippe, quem hactenus de ista questione cùm nemine illorum, qui ita sentiunt ut anonymous, collocutum esse, satis superq; ex hoc responso constat, aliquid addemus,

Astutia
Miedzib.

III de Ecclesia. CAP. IV.

demus, unde responsionis ipsius multiplex vanitas appareat. Primum igitur ait: notas Catholiconrum ex Scriptura depromi, ac proinde veras esse. Quomodo vero id probat? Nam (ut de cæteris taceam,) scriptura docet, in Ecclesia Ephes. 4.
Christi datos esse Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem fidei. Docet Esa. sp-
etiam fore, ut spiritus, quem posuit Deus in ore illius, non recedat de ore suo & semi-
nis ejus usque in perpetuum. Rem magnam
præstabis respondens, si id, quod affirmas, ostenderis.
Et quia plures sunt notæ, quas suam Ecclesiam ha-
bere gloriatur respondens, de quibus nunc tacet, li-
bet credere, has, quas hic attulit, esse firmiores reli-
quias, vel etiam firmissimas, nisi velimus responden-
tem, contra quam scholæ & ipsa ratio docet, infir-
miores elegisse, omissis firmioribus. Dispiciamus igitur
has notæ & earum vim ac robur. Asscripsit du-
os sacrarum literarum locos, alterum ex novo, alte-
rum ex veteri Testamento, & satis habuit eos nu-
dè asscripsisse, sed quomodo ex illis hoc eliciatur,
quod est in questione, ne indicavit quidem. Posse-
mus hic multi esse in exagitando respondente, si id
nobis propositum esset, sed veritati patefaciendæ o-
peram damus unicam. Videamus igitur, quid dicere
voluerit & potuerit respondens. Hoc dicet Paulum
affirmare, datos esse pastores & doctores in Ecclesia
vera ad consummationem sanctorum, donec omnes
occurramus in unitatem fidei. Sed nondum consum-
mati

matis sancti, nondum omnes occurrimus in unitatem
 fidei. Itaq; adhuc durare istud donum pastorum &
 doctorum, & quia hoc nusquam sit, nisi in Ecclesia
 Pontificiorum, hinc consequi, eam esse Christi Ec-
 clesiam. Ad hoc autem non argumentum, sed con-
 jecturam, primum sic respondeo, nihil esse, quod co-
 Ephes. 4.7. Argumen-
 gat, ut verba Apostoli de omni tempore, quod hu-
 ga Miedz. usq; fuit, intelligantur: sed ita accipi possunt, ut ad
 infirma. illud tempstantum, quo Apostolus ista scribebat,
 pertineant. Erant enim tunc multæ imperfectiones
 in Ecclesiis istis, que vix ex Paganismo ad Chri-
 stum conversæ fuerant, ad quas corrigendas opus erat
 doctoribus & pastoribus. Itaq; non docet Apostolus,
 semper futuros pastores, & ita consequenter Ec-
 clesiam, sed, si sint alicubi in Ecclesia doctores &
 pastores, docet, quodnam sit eorum officium. Fieri
 autem posse, ut pastores cum Ecclesia sua deficiant,
 ipsum Ephesinæ Ecclesiæ exemplum satis abundè
 docet. Deinde dico, si vera est respondentis argu-
 mentatio, vera etiam erit Ecclesia ea, quam respon-
 dent habet pro schismatica. Nonne enim idem dice-
 re possunt, & jure quidem, omnes Græcæ religionis
 assertores, pastores & doctores in Ecclesia ipsorum
 semper durasse?

Sed ut ut sit, durârint pastores & in Græca &
 in Romana Ecclesia, & in aliis, si nomina tantum
 habent doctorum & pastorum, quid tandem effici-
 et respondens? Dicam ego, Pastores cum Ecclesia
 defecisse a vera fide, & omnes veritatem deseruif-
 se. Dicet respondens, reliqui quidem errare potu-
 erunt.

erunt, at Pontifex Romanus nunquam, neq; Patres in Conciliis congregati multi. Sed hæc dicat credulitatem Pontificis, non iis, quibus Deus clementer oculos aperuit, ut videant ejus divinam voluntatem. Ii enim vident, Patres istos in Conciliis congregatos, & Papam Romanum, non tantum graviter errasse, & errare, sed etiam alios omnes in errorem induxisse, adeo, ut quicquid errorum est in Christiana religione, quorum est numerus ferè infinitus, id totum ferè Conciliis, Patribus, & Pape Romano debeatur. Et hoc verum esse ex ipsis etiam Pontificis, nonnulli, quibus veritas cordi est, ingenuè fatentur; & ut maximè negent, testantur historicæ, quomodo inter Pontifices Romanos olim convenerit, que Conciliorum plurimorum fuerit concordia, ita, ut si quis res contrarias in religione Christiana probare sibi proponeret ex iisdem Patribus & Conciliis, id sine magno labore confiscere posset. Et hæc de primo loco ad Ephes.

Papa & Pa-
tres errare
possunt &
errant,

Alter verò locus ex Esaiā desumtus, ita etiam a respondentē allatus est, ut non tantum non appareat, quomodo ex eo id, quod respondentē probandum erat, probari possit; sed etiam non satis appetet ex allegatione respondentis, de quonām verba illa prolatā sunt. Sic enim nudè air: Docet etiam (Scriptura) fore, ut spiritus, quem posuit Deus in ore illius, non recederet de ore suo & seminis ejus usque in perpetuum. Quis enim tandem divinare tenetur, de quo sint accipienda verba, illius, suo, ejus. Inspice (respondebit) locum, & videbis

videbis. Sed primum ejus est locum inspicere, qui eum ad probationem controversiae assert, & eum ita allegare, ut a legentibus, quid sibi velit, intelligi possit: alioquin suspectus jure est non de una fallacia & astutia. Deinde dico, licet quis illum locum inspiciat nullies: tamen eum de Romana ecclesia intelligendum esse, nunquam divinando assequetur. Sec nec de ulla Ecclesia ita intelligi potest, ut, qualis tandem illa Ecclesia futura sit, Spiritus tamen Dei ab ea non sit recessurus. hoc enim esset religionem evertere, & eam tantum non deridere. Sed tantum hic istorum verborum sensus esse videtur, Ecclesie (cujus figuram fuisse domum Iacobi, de quo apud Prophetam sermo est, dici potest) quamdiu Ecclesia futura esset, non defuturum unquam Spiritum Dei. Hoc autem totum, an scilicet homines Ecclesia Dei esse velint, penes eos esse Deus, pro altera sua sapientia, voluit. Simile est huic illud, quod etiam creberrime in ore habent Pontificii, quando Christus promittit se futurum cum suis singulis diebus usq^{ue} ad finem seculi: ubi itidem non promittitur, semper futuros fideles Christi. hoc enim ita comparatum est, ut promitti non possit: sed, si semper sint fideles, (quod in eorum potestate semper futurum est) semper etiam illis Christum adsuturum. Nam videre unusquisq^{ue} potest, quid de reliquis notis, de quibus respondens se nunc tacere ait, sperandum sit, si quidem haec, de quibus hic tacere noluit, tanti sunt momenti, hoc est, nullius. Certè istae notæ pueris etiam jam cognitæ esse possunt, quam sint incognitæ,

De loco
Matth. 28.

vel

vel etiam ridiculæ. Itaq; non est, cur dicat respondens, notæ Catholicorum ex Scriptura desumi, nisi fortasse alio modo id probare possit: Vel certè, si ex Scriptura desumi posse sperat notæ (quod nos tamen non concedimus) ne affirmet, doctrinæ salutaris cognitionem ab Ecclesia petendam esse, cùm cognitæ Ecclesia esse non possit, nisi ex sacris literis.

At declinare hoc totum conatur respondens, dum ait: Cùm autem infers, hinc sequi, Scripturam priùs esse cognoscendam, quām Ecclesiam, si nomine Scripturæ intelligis sensum ejus, & salutarem illam tuam doctrinam, dico id falsum esse. Priùs enim cognoscenda est Ecclesia; hāc demum cognitæ, de sensu Scripturæ & salutari doctrina certi erimus. Nam in Ecclesia est Spiritus sanctus qui docet omnem veritatem, & ministerio Pastorum, salutarem instillat fidelibus doctrinam. Si autem nomine Scripturæ intelligis libros ipsos divinos, quos omnes tanquam a Deo dictatos agnoscimus, sic concedo, priùs esse cognoscendam Scripturam, quām Ecclesiam. Nego anonymum ita inferre, hinc sequi, Scripturam esse priùs cognoscendam, quām Ecclesiam. nam hoc tantum infert anonymous: quoniam notæ ex sacris literis cognosci debent, Eccl. ex notis cognosci non posse, ^{Sophista} ^{Miedzib} priùs cognitas fore, quām illud cognitum esset, unde ipse cognosci debeant, & hoc non tantum esse absurdissimum, sed etiam contradictionem implicare.

Cujus rationis vim , vel non intellexit respondens ,
 vel si intellexit , & quomodo eam loco moveret , non
 habuit , quidvis dicere maluit , quam tacendo suam
 inscitiam prodere . Itaque distinctio , quam hic
 assert , futilissima planè est , ut pote , quæ & nullo
 modo rationem anonymi impugnat , ne dum eam
 expugnare possit , & præterea pro vanissima est ha-
 benda . Nec enim per sacras literas anonymous intel-
 ligere potest salutarem doctrinam , cùm eam in sa-
 cris literis contineri affirmet , & distinctio ista nul-
 lum re ipsa fundamentum habet , nisi fortasse auto-
 ritatem Ecclesie . Sed tamen , dum ita rem miscet
 respondens , aliquia dicit ei contrarium , quod affir-
 mat anonymous , nempe cognitâ Ecclesiâ de sensu
 Scripturæ & salutari doctrina nos certos futuros ;
 quod tamen nunc in questione est . Quomodo igitur
 hoc ipsum tam importunè objicit respondens ? Respo-
 dendum erat ad argumentum , & apparuisset istius
 rationis tuæ firmitas . Quas enim tu rationes affers ,
 cur ita sentias , illæ plane nihil sunt .

*Errores
Miedzib.
circa locum
Job. 16.*

In Ecclesia , ait , est Spiritus sanctus , qui
 docet omnem veritatem , & ministerio Pa-
 storum salutarem instillat fidelibus doctri-
 nam . Primum , verba Christi apud Iohannem ad
 solos Apostolos pertinent . Igitur non ad ecclesiam .
 Ecclesia enim absq; Apostolis esse potest . Deinde , o-
 nnis illa veritas , ad eam tantum veritatem perti-
 net , quæ ad muneris Apostolici constitutionem &
 essentiam pertinet , adeò , ut licet ad alios etiam ea
 verba Christi pertinere censeantur , tamen ea tan-

rum veritas intelligenda sit, quæ ad salutem ne es-
 faria est. Sed denique, quid est, quod ita audacter ro-
 tis respondens, in ecclesia, ait, Spiritum sanctum
 esse, & interim non docet, an in sua Romana? Illa e-
 nim non nisi equivocè talis est: nempe, non quia ta-
 lis re ipsa sit, sed vel quia talis olim fuerit, quomodo
 etiam Christus servos suos eos appellavit, qui ta-
 men fornicabantur: vel quia pro talise vendit,
 & vulgo pro tali habeatur, quomodo Christus Iu-
 dæos semen Abrahæ fuisse semel sassus est, & de-
 inde iterum negavit. Eadem ratio est sequentium,
 quod ministerio Pastorum Spiritus sanctus instillet
 salutarem fidelibus doctrinam. quasi jam certò con-
 stet, in ecclesia Romana esse pastores veros. Quod si
 concederetur, quorū tantæ essent controversiae?
 Quenam Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, impossi-
 bile est præcise cognoscere; quinam veri pastores,
 difficile. Nam quæ Ecclesiam Christi veram consti-
 tuunt, invisibilia sunt, & soli Deo cognita. Veri au-
 rem Pastores ii demum sunt, qui Scripturas rectè
 intelligunt, & aliis ita proponunt, ut eorum expli-
 catio a sensu, qui in iisdem sacris literis alibi planis-
 simè occurrit, non discrepet. At quenam sit falsa
 Christi Ecclesia, & qui falsi pastores, facillimè est
 cognoscere. Iam si ex illis, quæ in oculos incurruunt,
 judicium de hominibus facere licet, quomodo tan-
 dem se pro vera Christi ecclesia Romana ista, & e-
 jus pastores pro veris pastoribus Christi Ecclesiæ, ven-
 ditare non erubescunt? Quicquid enim de heretica
 ecclesia, quicquid de falsis doctoribus dictum est a

Christo & Apostolis, id totum propriè pertinet ad Romanam Ecclesiam, & ejus Pastores, quales scilicet nunc sunt, ut Spiritus sanctus præsentia descripsisse, non futura prædixisse dici possit.

Sed cùm porrò ait respondens, si nomine Scripturæ intelligantur libri divini, quos omnes tanquam a Deo dictatos agnoscimus, se concedere prius esse cognoscendam Scripturam, quam Ecclesiam, quomodo deinde illud idem, frivola quadam distinctione adhibita, iterum negat? Sic enim ait: Cùm autem instas, hac ratione sequi, ut Scriptura sit notior quam Ecclesia, dico id verum esse non simpliciter & absolutè, sed cum presuppositione, ut vocant. nam simpliciter loquendo, notior est Ecclesia quam Scriptura.

Inconstan-
tia Miedz Suprà concesserat, Scripturam, si pro libris divinis
accipiatur, esse prius cognoscendā, quam Ecclesiam:
nunc verò illud negat. Porrò in hac ejus objectione,
quam affingit anonymo, & responsione ad eam, mira astutia respondentis consideranda est. Nec enim
instat anonymous isto modo, quem fingit respondens,
nec quoad verba, nec quoad sensum. Sic enim ait a-
nonymus, quod jam tertium ascribo, alioquin ne-
cessè esset Ecclesiam esse cognitam, antea-
quam illud cognitum esset, unde ipsa cognosci debet.
non utitur verbis notiorem & ignotio-
rem. Potest enim, ut antea etiam dixi, uno eodemq;
tempore, una eademq;
res esse notior & ignotior, di-
versaratione: At uno & eodem tempore, una ea-
demq;
res cognita & incognita esse nullo modo po-
test.

Astutia
Miedz

rest. Vnde apparet totum hoc corruere, quod respon-
dēs deinde aliquoties iterat de isto notiori & signo-
rīo, quo perastutē credidit se elapsurum ex mani-
bus anonymi, & ipsum egregiē ludificatum demis-
surum, sed frustrā. Nec enim incognitae nobis sunt
tales Pontificiorum tergiversationes.

Sed præterea, ut ea examinemus, que occasio-
ne hujus rei effutū respondens, quorsum ista distin-
ctio ex suppositione, notiorem esse Scripturam, quam
Ecclesiam? Quia scilicet hodie omnes sectæ Christi-
ani nominis fateantur, divinam esse Scripturam.
Quasi hac de re sermo sit, quid hodie fiat, & non
potius de eo, quid ab initio Ecclesiae & Scripturæ sta-
tuendum fuerit. Nos enim affirmamus, Scripturam
omnino absolutè & ratione sui, non tantum ratione
partium litigantium, priùs fuisse cognitam, quam Saere litera-
Ecclesiam. cùm certum sit ex verbo divino hauiisse
ipsos Apostolos id, per quod & ipsi fundamentum
Ecclesiae fuere, & per quod alii ipsa Christi Ecclesia
facti sunt. Quid enim aliud efficit Ecclesiam, quam
fides in Iesum Christum? Hæc verò fides, nonne in
verbo Dei solo continetur? ita ut vix ineptius ali-
quid dici posse statuamus, quam Ecclesiam priùs fu-
isse cognitam, quam verbum divinum. cùm nullum
aliud medium Deus esse voluerit fundandæ & col-
ligendæ Ecclesiae, quam annunciationem promissio-
rum & præceptorum suorum, ita, ut illis creditis,
his observatis, homines, qui antea vel imperfectam,
vel nullam Dei cognitionem habebant, perfectè De-
um cognoscerent, & verus Dei populus fierent.

Impostura & Miedzib. *Imposuit respondens procul dubio sibi ipse, & aliis etiam imponere voluit, dum nescio quod puerile, immo anile commentum excogitavit, pro Scriptura sancta vel verbo divino id accipiens, quod scriptum est, quam scriptum, hoc est, literis comprehensum & in chartam relatum est, non vero quam id, quod literis comprehensum est, ante a verbum Dei fuit, quam scriberetur. Sic enim ait: Id vel inde constare potest, quod fideles, per multos annos nōrānt Ecclesiam Christi, non nōrānt autem Scripturam novi Testamenti, quippe, quae nec dum tum extaret. Primus enim Matthæus octo, ut minimum annis post Christi ascensionem scripsit Evangelium; secuti sunt alii multò posteriores. Pudet me ista puerilia & anilia refutare, que unusquisque mentis cōpos per se facillimè videre potest, quod nihil aliud sint, quam mera ineptia. Quis dubitat, prius docuisse oretenus Apostolos, quam literis consignarent id, quod docuerant, ut probationem ejus rei adornaret respondens? Sed quis etiam dubitat, prius illud existisse, quod Apostoli docuerunt, quam Ecclesiastē non enim nisi per illud, quod Apostoli docuere, Ecclesia collecta est. Fides ex auditu, auditus per verbum Dei, Prius igitur existere illud oportuit, & cognitum esse, quod causa quedam Ecclesiæ fuit, quam Ecclesia, quæ effectum quoddam istius cause fuit. Atque hactenus plus satis ad ista, quæ de notis Ecclesiæ, quæ scilicet nullæ sunt, tam pomposè respondens differuit, responsum esto.*

Thraſonicum appellat, & omnibus hæreticis
commune, quod anonymus ait, nos jam abunde
docuisse, & porrò docere paratos esse. Pon-
tificios salutarem doctrinam non habere,
non in uno tantum dogmate & ritu, sed in
pluribns. Fateor, eos audaces fuisse & esse, qui
Romanæ ecclesiæ illud objicere primi ausi sunt. Sed
si ista audacia illorum, non expertiæ aut aliqua
carnali præsumptione, sed ex Spiritu Dei profecta
fuit, quis eam reprehendat? Audaceſ erant Apoſto-
li, homines idiotæ, qui Principibus populi Israelitici
objecabant, eos Christi interfectores & proditores
fuisse. Audax D. Paulus, qui Iesum Nazarænum,
Christum esse affirmabat, & partem Legis ceremo-
nialem abolendam esse, Iudeis prædicabat: Gentili-
bus verò horrendas Idolatrias exprobrabat, & ta-
men eam audaciam a Deo eis inditam fuisse ne-
mo Christianorum dubitat. Quid mirum igitur, si
fuerunt viri doctrina & pietate prætantissimi, qui
capitibus Ecclesiæ Romane objecerunt Idolatrias
non minùs horrendas, quam olim erant Ethnicæ, &
vitia non minùs enormia, quam olim erant vel Iu-
dæorum vel Ethnicorum, & tandem cultum illum
ceremoniosum Pontificium, qui nihil planè cum
Christi religione sanctissima & spirituali commu-
ne habet, funditus extirpandum esse prædicarunt.
An idem etiam fecerint alii, quos pro hæreticis ha-
bet, & adversus quos scribit respondens, de eo, nunc
non est, quod disputemus. Nec enim omnes, adversus
quos scribit respondens, & qui communem in hac

Non omnis
audacia
culpanda.


questione de Ecclesia, ubi & quoniam sit, causam
habent, ita sunt audaces, ut quemlibet, qui in ali-
qua particula Christianae religionis ab eis diversum
sentit, pro heretico habeant, ad nullos alios id per-
tinere putantes, ut antea non semel dictum fuit,
quam ad eos, qui Christum profitentes ejusmodi
dogmata tenent, quae fidem in Christum necessariò
labefactare & convellere possunt.

*Errore s.
Micedzib.*

Quae deinceps predicat de Ecclesia, quod in
ea sit verus sensus Scripturæ, quippe quæ sit corpus
Christi, in eo dupliciter errat. Primum, quod quæ de
Ecclesia dici possunt, ad suam Romanam accommo-
dat, quam tamen dimidia saltem pars Christiano-
rum, qui in Europa degut, pro tali minimè habet; &
quod vicissim eos pro hereticis proclamat, apud quos
pse cum sua Ecclesia omnium hereticorum maxi-
mus est. Deinde, quod credit, veram etiam Ecclesi-
am, quæ sit corpus Christi, & in qua sit spiritus Chri-
sti, errare non posse in iis rebus, quæ ad salutem non
sunt necessaria, quod tamen planè aliter se habere,
omnium ferè Ecclesiarum, quæ tempore Apostolo-
rum fuere, exempla docent, & ipsa ratio satis evi-
denter attestatur. Itaq; etiamsi verissimum esset,
Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam:
tamen non sequeretur, eam in multis, quæ scilicet
ad salutem non sint necessaria, sed tamen suo modo
ad religionem, & etiam ad salutem pertineant, er-
rare non posse.

Quia

Explicationem loci Paulini ad Timoth. ait se non morari. Sed ostendendum erat, quid falsi, quid absurdii, quid perniciosi in ea continetur. alioquin pertinacæ crimen incurret, qui propter hoc ipsum Pertinacæ nolit admittere explicationem alicujus loci, quia sit Miedzibœ profecta ab eo, quem ille habet pro heretico. Quo vitio hodie ferè omnes laborant, qui Romane Ecclesiæ addicti sunt, ut non tam quid, sed a quo aliquid dicatur, considerent, & ita præjudiciis aliorum fascinati, suis ipsorum judiciis uti nolint: cum tamen veritas semper sit vera, etiam sit tandem ab adversario veritatis prolatâ sit. Et hæc de prima quæstione.



Responsio ad CAPUT I.

DE MISSIONE MINISTRORUM,
quod est apud Miedzibozium quin-
tuni.

Controversiam ministerii jure moveri non posse Ministris (quos vocant) Evangelicis, hoc modo ab anonymo demonstratum erat: Quicunq; id faciunt, eos aut credere, ministros istos omnino pro novis quibusdam Christi Apostolis & divinis Prophetis se gerere, vel ut se gerant, opus esse; aut non credere. Si credant, falli. Fateri enim ultrò

ultrò ipsos Ministros, se in iis, quæ docent, quamvis
persuasissimum habeant ea esse verissima, errare ta-
men posse; id, quod ab iis, qui se pro Christi Aposto-
lis, aut divinis Prophetis gerunt, penitus absit. nec
porrò ut ipsi pro talibus se gerant, quicquam esse o-
pus. Cùm non vel inauditam priùs doctrinam aut
religionem mundo se annunciare profiteantur, vel
ex novis principiis, priusq; incognitis testimonis,
quicquam docere; sed tantum ex iis principiis, iisq;
testimonis, que apud omnes Christiani nominis cer-
tissima sunt, se Apostolicam doctrinam, ipsumq; Chri-
sti Evangelium, se docere profiteantur, vel potius
prædicta scripta explanare atq; explicare aliter atq;
jam diu vel in Romana vel in Græca Ecclesia doce-
atur, quæ ante hos 70. annos maximam partem
Christiani orbis occupabant. Quod si eos nec omnino
pro Christi Apostolis quibusdam novis divinisq; Pro-
phetis se gerere, nec ut se gerant, opus esse, credant,
nihil esse, cur ab iis requiratur, ut sui muneri legitimi-
tum autorem ostendant. Licere enim cuivis Chri-
stiano homini etiam sine speciali ullo sibi legitimè
demandato ejus rei munere, charitatem erga pro-
ximum exercere, quale est ad Christi Evangelium
complectendum ac retinendum alios cohortari, di-
vinaq; oracula, quæ omnibus sunt proposita, illis ex-
plicare. Hoc, inquam, modo, demonstratum id de
missione Ministrorum fuerat ab eo, quem respon-
dens noster refutare conatur.

Ad hanc verò ipsius argumentationem quæ-
dam adfert respondens, ad quæ per particulias respon-
debimus.

debimus. Sive se gerant, ait, sive non pro Prophetis, non credimus tamen, bone vir, illos esse Prophetas. Indignabundum ista protulisse Incogitare
necessè est, ut parùm consideraverit, quid diceret. ^{tia Miedz} Quis enim animo composito & placido in hæc verba erumperet, sive te geras, sive non, pro Prophetâ, non credo tamen te esse Prophetam? Nam si quis se non gerat pro Prophetâ, hoc ipso tibi concedit, ut se Prophetam esse non credas. Et tamen non vult credere respondens, quod credere eum ipse anonymous etiam non vult.

Sed missa hac indignatione, videamus, quid amplius dicat respondens: Scimus, ait, nullum unquam ex vobis donum Prophetiæ habuisse, nec ipsum quidem Lutherum Patrem vestrum, qui, quam verus esset vates, ostendit, cum vaticinatus est fore, ut si vixisset aliquot annis, funditus Papa cum Cardinalibus suis interiret, quæ vaticinatio ipsius, quomodo sit impleta, videmus, & simul hoc de Luthero statuere cogimur, eum Prophetam mendacem, nec a Deo missum fuisse. Tali enim notâ Deus jubet dignosci Prophetas, ut si quid quod prædictum est, non evenierit, pro falso vate habeatur. Primum in Fallacia vocabulo Prophetarum fallaciam, suo more, struit, ^{Deut. 18.} Miedz dum eos solos per id intelligit, qui futura annunciant, cum tamen latius istud vocabulum pateat, ex mente sacrarum literarum novi Testamenti, & eos etiam comprehendat, qui res novas patesciunt, ^{Quis sit Propheta novi Testa- menti.} ^{quas}

Eph. 2.20. quas Deus singulariter eis patefecerit, ob quarum
scientiam sibi revelatam, fundamentum etiam u-
num cum Apostolis Ecclesiae Christi nuncupantur.
qui quidem uno gradu inferiores fuere Apostolis, ut
ex quibusdam locis sacrarum literarum videre est,
§. Cor. 12. in quibus non tantum simpliciter Apostolis postpo-
nuntur, sed etiam cum additione ipsius numerise-
cundi. Anonymū autem de hac posteriore significa-
tione loqui, ipsa res docet. De iis enim, qui alios do-
cent, sermo est. at docere aliquis alios potest, etiam si
Propheta non sit eo modo, quo respondens hic voca-
bulum illud accipit. Sed, quod majus est, affirmat a-
nonymus, & sponte sua concedit, Ministros (quos vo-
cant) Evangelicos, nec hoc nec isto modo esse Pro-
phetas, nec se tales venditare, nec ut se tales vendi-
rent opus esse, contendit. Quorsum igitur ista tam
indignabunda in nos invectiva oratio? nisi ut ani-
mum expleret aliis detrahendo, cum, unde se com-
mendet, non habeat.

Sed etiam si quam maxime alii detrahant re-
spondens, nihil tamen te & tuam causam juvas. Sit
enim Lutherus falsus Propheta, non idcirco non erit
falsus Pontifex Romanus & ipsius ecclesia. De Lu-
theri verbis non habeo quodd certore respondeam. Li-
bri enim illius non sunt mihi omnes ad manum. Hoc
Lutheri
vaticinatio
qualis. nunc tantum dico: Respondentem nimis indulgere
genio suo, dum ita Lutherum exagitat. Non enim
credibile est, Luthertam hoc tanquam a Deo sibi re-
velatum dixisse, cuius hic meminit respondens; sed
& ex eo, quod fieri ab initio videbat, bonam spem con-
cepit.

cepit, paucis annis, totum istud Antichristiregnum corruiturum, & ita hoc futurum, humano more, prædixit. Ad id verò, ut pro mendace propheta habetur, quod facit respondens, necesse esset Lutherum affirmasse, Deum sibi hoc revelasse, & se in nomine Domini illud prædicere, ut expreßè habent verba Deuter. cap. 18. 22. Talium certè prædictio-
num plena sunt vestrorum etiam scripta, quibus de interitu alicujus personæ vel etiam regionis prædicere multa solent, quæ scilicet accidere vellent, quæ tamen nemo, nisi qui occasionem altos exagi-
tandi querit, prophetias meras esse dicere ausit.

Ad reliqua quædam verba respondentis, non est, quod drespondeam quicquam, cùm ait: Non igitur credimus illos esse Prophetas, multò mi-
nus Apostolos: tūm, quia, ut ipse fateris, er-
rare possunt, imò errant, ut patet ex anti-
quis hæresibus ab eis excitatis, tūm, quia
non legimus uspiam in sacris oraculis, Apo-
stolos V Vitembergā prodituros, unde veſter
Lutherus, & alii primū emerſerunt. Nemo
enim hoc postulat, ut credatur, nos esse vel Proph-
etas vel Apostolos. Rationes autem cur id non credat
respondens, valde sunt ridiculæ. & non minimam
ejus ignorantiam apertè prodere possunt. Prior est,
quia errant, ait, & hujus vicissim ratio est, ut pa-
tet ex antiquis hæresibus ab eis excitatis.
Quid est principium petere & nugari, si hoc non est? Principi-
Poteſt hic occinī respondenti illud, quod de nobis in- um petre
juria dicit: Sat ſcio, nihil habebis, niſi iſtud tuum fo- Miedzib
lemne:

lemne: Evangelici errant, quia antiquæ hæreses ab eis excitantur, quod tu dicas & non probas, & non probabis unquam, sicut nec alii potuerunt. Evangelici sequuntur Evangelium, ex illo sua dogmata probant, & vestrarum refutant. Itaq; frustrâ est alienam culpam in eos conferre, & in hæreticorum vestrorum numerum eos referre.

Sophista
erassis
Miedzib.

2. Cor. i.
28, 29.

Posterior ratio est: Nusquam legimus in sacris oraculis Apostolos Witembergâ prodituros. O argumentatorem & Theologum acutum! Ergo legitur uspiam in sacris literis Româ Apostolos prodituros, & tamen inde quotidie prodeunt Apostoli, scilicet! Est igitur in sacris literis locus aliquis expressus, ex quo Apostoli prodituri essent? Quia verò se Prophetam esse Lutherus non gloriatus est, sed Ministerum Evangelii, quid prohibet Witembergâ talem prodiisse? Nunquid Deus ad certa loca se & sua dona alligavit? Certè, si sapientiam Dei & naturam religionis, præsertim Christianæ, considerasset respondens, multò faciliùs in eam sententiam ivisset, ex locis obscuris (quanquam Witembergâ satu celebris urbs est) prodiisse viros in Ecclesia Christi illustres, quam ex locis insignibus. Ea enim quæ nihil sunt, Deus elegit, ut ea quæ sunt, aboleret, ne ulla caro coram Deo glorietur.

Pergit respondens genio suo indulgere, & ita ait: Neque verò videmus, cur sit necessarium, utilissime pro Apostolis & Prophetis venditent, non ob eam, quam tu affers causam, quasi

quasi non auditam haec tenus doctrinam attulerint. Id enim falsum est. Est, ut video, cui jucundum sit seipsum decipere. Adhuc enim indignatur respondens, & nescire videtur, quid dicat. Non videmus, ait, cur sit necessarium, ut Ministri se pro Apostolis & Prophetis venditent. Secum propria*gnat Mie-*
intelligi potest, affirmari ab aliquo, necessarium esse, dzib.
ut pro talibus habeantur, quod tamen nemo affirmat, imò contrarium aperte affirmatur, nempe non esse necessarium, ut pro talibus habeantur, propter causam, de qua mox dicemus.

Falsum, ait, esse, quod non inauditam haec tenus doctrinam attulerint Ministri. Num mis hic, ut & alibi, observat, quod se observasse in rescribendo, sub finem hujus responsionis sue continetur respondens. Injuriā enim afficitur plerūq;^z, & calumniā premitur anonymous, dum non verba illius citantur, sed sententia tantum ex illis excerptitur. Sic autem loquitur anonymous: Non inauditam prius doctrinam aut religionem mundo se annunciare profitentur, vel ex novis principiis, priusvē incognitis testimoniis quicquam docere: sed tantum ex iis principiis, usque testimoniis, quæ apud omnes Christiani nominis notissima sunt: ex ipsis, inquam, Evangelistarum & Apostolorum scriptis Apostolicam doctrinam, ipsumque Christi Evangelium se docere profitentur, vel potius prædicta scripta explanare atque explicare aliter, atque jam diu vel in Roma-

*Non cana-
didus Mic-
dzib.*

ma, vel in Græca Ecclesia doceatur, quæ ante hos 70. annos maximam orbis Christiani partem occupabant. Ex quibus verbis, spero, quemlibet multò perfectiorem, & veritati magis consentaneam sententiam elicere posse, quam ex illis, quæ respondens, suo more, ea contrahens & immutans posuit. Sed nolumus hic prolixii esse.

Videamus rationes, quibus probat respondens falsum esse, nostros Ministros non inauditam prius doctrinam attulisse. Ait igitur: Vbi namque talis religio, qualem nunc Ministri profitentur, in antiqua Ecclesia visa est? Quis infantes baptismo prohibuit, ut Anabaptistæ? quis corpus Christi ubique esse credidit, ut Lutherani, quos ubiquitarios vocant? quis justificari homines fide speciali credidit, ut omnes vos facitis? quis denique talem anarchiam in veteri Ecclesia vidit, ut Ministri essent sine missione, sine ordinatione, sine potestate, ut in vestris ministris videmus & indignamur? Egregie sane rationes. Nonne appetè dicit *anonymus*, Ministros non inauditam, sed ipsam Apostolicam doctrinam, ipsumq; Iesu Christi Evangelium se docere profiteri, vel potius predicta scripta explanare atq; explicare aliter, quam vel Romana vel Græca Ecclesia? Quorsum igitur relegantur ad Ecclesiam aliquam veterem, quæ quidem respectu Ecclesiarum, que nunc sunt, Evangelicarum, vetus est; at respectu Apostolicarum tam est nova, quam nostræ respectu Romana? Esto, non sit visa, non sit

Quæ vetus
Ecclesia.

sit audita doctrina in veteri Ecclesia Romana, qualis
 fuit ab annis retrò mille & aliquot cētenis, num
 ideo non est audita priùs in Christi Ecclesia? Imò
 doctrina Ministrorum dicitur non inaudita
 priùs, non quòd audita sit in Romana Ecclesia, vete-
 rilicet, (inde enim explosa omnino fuit) sed quòd
 audita olim fuerit in vera Christi Ecclesia, quæ ex-
 tra Romanam, qualis nunc est, consistere potest.
 Monstri aliquid hic alit respondens, & imponit vo-
 cabulo veteris Ecclesie. Credit, ideo in antiquissi-
 ma illa & primitiva Ecclesia viguisse suam religio-
 nem, quia viguerit in ecclesia, quæ post Apostolos a-
 liquot seculis extitit, & jam suo modo etiam vetus
 est. Sed frustra est imponere velle hominibus ista
 larvâ ecclesie. ad ipsa initia Christianæ religionis
 recurrentum est, si quis velit bene intelligere, quæ
 facies religionis Christianæ esse debeat, ut D. Io-
 hannes docet. ad hæc prima principia si recurratur,
 abscondat se necesse est respondens cum ipsis suis
 questionibus. Ut ut enim infantium baptismus hodie De Pædo-
 in usu sit: certum tamen est, ex ipsis etiam Pontifi- baptismo
 ciorum libris, eum in ipso principio Christi Ecclesiæ quid senti-
 nullo modo fuisse usitatum. Hinc etiam acerrimi Ro- endum.
 manæ ecclesie defensores, fatentur eum ex sacris
 literis probari non posse: sed meram esse traditionem
 ecclesiasticam, vel, ut illi fallunt, Apostolicam. Cor-
 pus Christi ubiqꝫ esse, nulla unquam credidit anti-
 quitas Apostolica, & hodie, qui id credunt, per er-
 rorem id faciunt. Quid sit homines justificari fide
 speciali, non intelligo: ideoqꝫ, si mentem suam expli-

uerit rectius, aut, quisnam Evangelicorum ita lo-
quatur, ostenderit respondens, fortasse ad istam que-
stionem facillimè aliquid respondebimus. Nunc hoc
dico: si Evangelicos perstringit, qui fide absq; operi-
bus homines justificari affirmant (quod tamen ne-
scio quo jure specialem fidem appellare posset) re-
spondemus, hanc sententiam non esse omnium, eo
sensu, quem quidam sequuntur. quanquam verissi-
mum est, fidem solam absq; operibus justificare ho-
minem, si modo intelligatur, quid sit, ex mente sa-
crarum literarum, fides. Anarchiam verò esse, si Mi-
nistri sint sine missione, sine ordinatione, sine pote-
state, qualem vos vobis confixistis, hoc nunc in con-
troversia est. Satis est ordinis, si Ministri tales & eo
modo constituuntur, quales & quomodo eos Aposto-
lus constitui præcepit. Ista verò potestas vestrorum
sacrificiorum, quam iactas, est istud, de quo Paulus
ait: quod se sit exaltatus homo peccati & filius
perditionis, supra omne, quod Deus nominatur,
vel cui divinus cultus debetur, qua potestate
haec tenus abutimini in perniciem & rui-
nam Reipublicæ Christianæ. Atq; hic iterum su-
bit mirari respondentem, cur ita se gerat, ac si
cum certo quodam cœtu eorum, qui ab ipsius ecclesia
desciverunt, negotium illi esset: cùm tamen in hac
causa omnes conveniant, quicunq; non sunt ecclesie
Romanae addicti, quorum milii ea dogmata, quæ
hic recenset respondens, profalsissimi habent. At-
sulerit igitur aliquid contra quosdam, interim ad-
versus

133. de missione Ministr. C A P. I.
versus alios nihil attulit, qui, tuti ab hisce impugnationibus, ridere conatus ejus jure possunt.

Refutata hac causa, quam anonymous attulerat, ob quam non sit necesse, ut Ministri se pro Apostolis, aut divinis prophetis gerant, præter eam, quam suprà attulit, ad quam nos etiam aliquid respondimus, hanc etiam afferit: Quia nihil in eis Apostolicum videmus, sed potius illa omnia, quæ hæreticorum semper fuerunt propria, superbiam, inconstantiam, seditiones, bella, & alia hujusmodi. Sed hic iterum regera: non cupiunt haberi pro Apostolis Ministri. Quid igitur opus fuit causam afferre, cur eos respondens non habeat pro Apostolis? annón hoc est indignari, ut de se ait respondens, & animo præpeditum ea non attendere, de quibus sermo est, sed suam persequi pertinaciam? Quia tamen, si ista vera essent, quæ afferit respondens, Ministri non tantum Apostoli esse non possent, sed nec Ministri, verbi scilicet divini, respondeo hæc pauca: Fatemur nos, debere ista omnia quam longissime abesse ab illis, qui se ministros verbi divini profitentur. Fatebitur igitur etiam respondens, debere non minus longè illa abesse ab iis, qui se Apostolicum quiddam qualicunq; modo esse gloriantur. Iam quod ad Ministros attinet, qui ab eodem tempore extiterunt, quo Deus lucem Evangelii denuò accendere dignatus est, non ausim equidem omnibus patrocinari. Experti enim sumus non paucos eorum suisse morum dissolutorum, quæ res magnam offenditionis causam præbuit; nec negari potest, suisse quosdam

quosdam inflatos, seditiosos, & alii vitiis deditos;
sed tamen non debet id fraudi esse ordini Ministri-
Corruptio- rum, quod a quibusdam peccatum est. Illud enim,
nis morum in quibus- quod in quibusdam conspectum fuit, vitiorum &
dam Evan- impietatum, reliquiæ erant istius corruptionis,
gelicis Mi- quam secum ex ecclesia Romana ad Ecclesias suas
nistris cau- fa. attulerant isti, & non potuit tam citò instaurari pi-
etas, ut quidem optandum fuisset. Tempore vero suc-
cedente, ita in hac parte, ut & in aliis proficitur, ut
in dies sint magis ad Canonem Apostolicum confor-
mès Ministri. Præterea, quis est, qui nesciat, quām
multos eruditione & pietate insignes viros seculum
hoc elapsum produxerit, qui summa cum laude a-
pud hostes etiam veritatis divinæ, vitâ suâ perfun-
cti sint? Quorum humiliatio, constantia, studium pa-
cis, Deo & hominibus fuere notissima.

*Cœstella-
per Miedz.* Sed fortasse hic iterum subdolè ait respondens,
qui superbiam id nominat, quod zelus jure appella-
ri debet. Vnum Lutherum primum universæ Ponti-
ficie vel Romanæ curiæ bellum indixisse, arrogans
factum haberiposset, si Lutherus Pontificem Roma-
num caput Ecclesiæ vel Christi servum agnovisset.
At, si eundem pro Antichristo habuit, quis mirari
potest, eum se illi acerrimè opposuisse? Non superbiam
autem ad illud adegitse Lutherum, sed ipsum
Dei Spiritum, ipsares loquitur. Quomodo enim tan-
tas & tot tam potentium Pontificum iras, minas,
fulmina, sustinere superbiam suâ potuisset, nisi ei De-
us ipse præsens adfuisset? Idem etiam de aliis eun-
dem consecutis Ministris verbi divini statuendum
est.

est. Quod enim hodie omnibus Pontificibus & Pon-
tificiis sunt contrarii, id, qui superbie tribuit, pa-
rum rationis habere videtur. nimis enim magno il-
lis haec constaret superbia, dum perpetuis illorum in-
sidiis & odis pleriq. sunt expositi. nemo autem sibi
ipsciens nocere cupit.

Inconstantiam hodie appellant in Ministris verbi divini, Pontificii, quod veritatis quoddam est proprium: ne mpe a parvis principiis ad perfectionem tendere. Per multa secula corrupta fuerat Christi religio. Vno igitur anno instaurari, ob hominum infirmitatem, non potuit. Accessit veritati quotidie major lux per eos, qui Evangelium docendi provinciam suscepserunt. Primum ea suere cognita, que salutem necessariò adimebant. Deinde ea, que eandem facillime adimere possunt. Tum ea, que eandem impediunt. Deniq. ea, que quocunq. modo viam salutis & pietatis, & gloriam Dei obscurant. Quis igitur non mutaret sententiam in melius, nisi pertinax & demens? cum non mutatio, sed causa mutationis apud cordatos vitio detur; & fieri sapè posset, ut is, qui constantiae gloria gaudet, pertinax revera sit, quo vix est aliquod vitium turpius & Deo magis exosum.

Gradus re-
velationis
veritatis.

Seditiones & bella mota esse accensa luce Evangelii, non potest simpliciter & verè ministris verbi Dei ascribi. aliis enim & Apostoli pro hereticis habendi essent, quibus veritatem Evangelicam annunciantibus, seditiones non semel & non leves exortae sunt. Præterea, si animus etiam quorundam ab

is rebus non abhorruit, quid mirum fuit, siquidem crediderunt unā cum Pontificiis, (quod ab iis didicerant, non a Christo) liberum esse vi & armis religionem defendere? Ignavum enim eum esse oportet, qui religionis causā manum cum alio conserre & bellum gerere dubitet, si id sibi licere credat.

Sed hoc non nisi cum summa injuria & calunnia omnibus illis objici potest, qui a Pontificia ecclesia defecerunt, cum sint inter eos, qui pacem in justissimam justissimo bello preferendam, & Magistratui etiam impio & infideli, obedientiam præstandam esse statuant, & nihil non faciendum, imò etiam ferendum potius, quam adversus illum arma sumenda: contra alios verò sibi pares insurgere, & cum iis dimicare, alienissimum a Christiana charitate, patientia & modestia esse, certò persuasum habent.

Purgavimus jam, quantum fert scripti hujus brevitas, objecta crimina, & quam ab illis longè absint Ministri, si non omnes, saltem potissima eorum pars, ostendimus. Iam videat mecum respondens, annón hæresis notam inusserit omnibus suis Pontificibus & spiritualibus, quos vocant? Non enim superbos eos tantum, sed ipsam superbiam esse qui negare velit, is negaret unā operā mundum hunc habuisse superbos, quos tamen habuit plurimos. Nihil est omnis alia superbia humana, respectu ejus, quæ in Pontificibus Romanis, & eorum asseclis, multis seculis durat. Quid est in tota universitate, in quod absolutum sibi dominium non arroget Papa Roma-

Superbia
Pontific.

nus & ejus a seclæ? Quem præse non contemnunt? Quæ jura illos obligant? Et tamen audet respondens superbiam aliis objicere, qui vel unus ex illis est, vel esse ambit?

Quanta verò constantia in ecclesia Romana fuerit, cum eam, quam nunc tenent religionem, Inconstanter vel eum, quem nunc sequuntur in cultu divino modum, commenti sunt, longa esset fabula commemorationum. Sed nec ipse Papa negare potest, antiquitus ista omnia aliter se habuisse. Quâ verò id nunc defenditur constantiâ, ea pertinacia est, & hic inconstantem esse, summa laus est.

Seditionum & bellorum, quæ in multis retrò seculis, & praesertim hoc nostro seculo orta sunt, nemmo causa extitit, nisi Pontifex Romanus, & ejus a seclæ: & tamen in alios invehitur respondens, penes quos minima, respectu Pontificiorum, culpa est. Sed dicat nobis respondens, quis, non dicam seditionum aut bellorum, sed lanienarum, quæ in orbe Christiano ab annis retrò 80. extiterunt, crudelissimarum simul & injustissimarum autor fuit, praeter Pontificem Romanum, & Romanæ ecclesiæ Monachos, & hodie etiam Iesuitas? Iudicet igitur respondens, an aliquid cum spiritu Christi commune illi habeant. Quæres tamen evidens est, ut antesignani Romanæ Ecclesiæ, cum negare ista nimis audax aliquid esset, peccatum peccato addētes, defendere ista mordicus malint, quām ab errore recedere, quæ tamen illorum defensio, quām sit a Christi spiritu aliena, jam multis piis constat, & in dies magis ma-

gusq; constabit. Dicit respondentis, alia etiam hujusmodi in Ministris videri: sed quia ea non expressit, nos etiam alia hujusmodi perplurima, que de Romanæ ecclesie antistitibus ipso meridie sunt clariora, vitia prætermittimus. Hoc unum verbum addam: ingens volumen futurum, si omnes, qui in ista ecclesia & olim fuere, & nunc sunt errores, vitia, & peccata, conscribantur.

Absoluta hac sua indignabunda oratione respondens, rationem reddit, quare, si neq; credant Pontificii ministros, (quos vocant) Evangelicos, esse novos Apostolos, neq; putent necessarium, ut se gerant protalibus, postulent nihilominus ab illis, ut munieris sui legitimum autorem ostendant: dum aut: Respondeo, id circò nos id facere, quia nemmo sibi sumit honorem, sed debet voeari tanquam Aaron, neque quisquam potest prædicare nisi mittatur, ut loquitur Apostolus. Et sanè perpetuus iste mos fuit in ecclesia, ut Ministri non seipsi ingererent, sed mitterentur ab aliis. Ita Christus misit Apostolos: ita Apostoli Paulum & Barnabam: ita Paulus Timotheum & Titum, ut reliquos taceam. Locus Heb. 5. primùm non de hujusmodi honore loquitur, de quo nunc sermo institutus est: sed tantum de honore sacerdotali, qualis erat Aaronis, ut ipse textus testatur. At hodie il-

De loco
Heb. 5.4.

Differentia
muneris fa-
cercdotum
& Ministerio
rum.

li, qui alios docent, Sacerdotes tales non sunt. Vnus enim tantum talis est Iesus Christus, qui successit in locum istorum sacerdotum legalium, qui morte præpediti,

pediti, durare perpetuum non poterant, ut aperte te-
statur cap. 7. v. 23. 24. Antiqua haec est cantilena
Pontificiorum, quod suos Episcopos vel Parochos, sa-
cerdotes nominant, cuius jam tempus esset, ut eos
puderet in tanta Evangelii luce. Quando alicubi
vox sacerdotis legitur de Christiano populo, tam au-
ditoribus quam Doctoribus eam competere ipsa lo-
ci circumstantiae ad oculum demonstrant. Non licet
igitur, ut quis talis honorum, qualis est sacerdoti-
um, sibi sumat, sed necesse est, ut ad eum vocetur ab
ipso Deo, a quo scilicet solo ad tantum honorem vo-
catus erat olim Aaron, & postea Dominus Ie-
sus. At honoris, quale est munus docendi alios,
longe alia est ratio. In hoc enim plus laboris semper
est, quam honoris. Laborem vero aliquem sumere,
semper laudabile fuit. Honores istos damus Pontifi-
ciis doctoribus. Hi enim labores plerique fugiunt, ho-
nores solos sectantur.

Deinde dici jure non potest, eum, qui aptus est
ad docendum alios, & vita est inculpatæ, sumere
sibi munus docendi, vel honorem illum, qui est in
munere docendi. Is enim sumit aliquid, qui id, quod
ei non debetur, sibi arrogat. at ei, qui est ad docen-
dum aptus, & vita inculpatæ, debetur ista dignitas,
vel munus. ita, ut si quis talis sit, & alios docere no-
lit eo modo de quo loquimur, nempe Christi & Apo-
stolorum doctrinam eis explicando, gravissime pec-
caturus sit. Et est deploranda sane hominum cæcitas
& perversitas, qui a græ ferunt, eos docendi provinci-
am tenere, qui ad eam subeundam sunt aptissimi,
propter

Quid sit
bi honorum
sumere.

propter hoc solum, quod ab aliquo non sunt missi, secundum eorum arbitrium: interim vero ipsi sibi istos honores competere autemant, quia ab aliquo sunt ad illud munus, ut ipsis placet, vocati & missi, licet nihil minus plerique habeant, quam aptitudinem ad docendum & vitam inculpatam. Ita scilicet sit, ubi negligitur Christi & Apostolorum praescriptum, & ecclesiæ traditiones observantur. Istud esset faciendum omnino & necessarium: hoc vero etiam addi posset, ubi id tempora & loci ferunt, tanquam res ad bonum ordinem pertinens: sed hoc solum observare, illud vero spernere, est nundinari Christi Evangelium.

De Inco **Locus Rom. 10.** Quomodo prædicabunt, si
Rom. 10. non mittantur? nihil prorsus ad rem facit. Paulus enim de prædicatione, vel potius annunciatione, loquitur, quæ vox non omne genus docendi eo in loco complectitur, sed illud tantum, quo novum & inauditum aliquid in mundum affertur. Id quod patet ex eo, quod Paulus isto in loco loquitur de eo, quod fieri simpliciter non possit, non autem, quod fieri non liceat. Sic enim ait in præcedentibus: Quomodo ergo in vocabūt, in quem non crediderūt? Quomodo autē credēt, quod non audierunt? &c. Quæ verba non id volunt, nemini licere aliquem invocare, nisi credat, & nemini licere credere, nisi audiat, &c. Sed sensus illorum est: Neminem posse ulla ratione invocare aliquem, nisi in eum credat, & neminem posse ulla ratione credere, nisi audiat, &c. Vnde patet fieri non posse, ut, cum

cum Paulus egerit in præcedentibus de eo, quod fieri non possit simpliciter, in sequentibus verbis. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur, agat de eo, quod fieri non liceat, sed sensus est horum verborum: Impossibile est, ut aliquis possit prædicare, nisi mittatur. Ex quo etiam apparet, tanto minus locum Pauli pertinere ad questionem præsentem, cum nunc questio sit non de eo, quod fieri non possit, sed de eo, quod fieri non liceat. Posse autem eos, hodie, quibus id non licere contendit respondens, docere alios, ipsa res loquitur. Nam non tantum non pauci ipsis docentibus fidem adhibuerint, & per eos ad puriore Dei cognitionem adducti sunt, verum etiam ipsi adversarii metuant, ne si liberè doceant, ipsorum tota, quam jactant, prædicatio, omnibus suspecta reddatur, & tandem intereat. Sed hac de replura in capite sequenti.

Quod denique de more illo mittendi in ecclesia scribit respondens, valde infirmum censendum est. Nonne enim fere contrarium ejus, quod ille ait, legitur, dum ait Apostolus: Si quis episcopatum concupiscit, bonū opero concupiscit. Si licet concupisci-
re munus alios docēdi, falsū est, expectari necessa-
riō debere, donec aliquis ab alio mittatur. Chrestium ^{Imprudē-}
Apostolos misisse, ut hic adderetur, nullo modo opus ^{ita Miedz.}
erat. Ut enim de ministris aliis, præter Apostolos,
controversia est, an missione ulla opus habeant, ita
de missione Apostolorum, quod necessaria fuerit, ne-
mo unquam dubitavit. Paulum verò & Barnabam ^{Errores}
missos esse ab Apostolis, hoc primū admodum in- ^{Miedzba}
fulse

salse dictum est. Nonne enim Apostolus etiam fuit Paulus? Quomodo igitur ab Apostolis missus esse potuit, vel quomodo Apostolus mitti etiam potuit? Qui enim Apostolus est, is jam missus est. Deinde admodum frivolum est, & a veritate planè alienum. Actor. enim 12. nulla mentio sit Apostolorum, qui Paulum & Barnabam miserint, sed tantum fit mentio Ecclesiae Antiochenæ, ejusq; Prophetarum & Doctorum, quorum etiam nomina ibi exprimuntur. Cujus quidem erroris velim esse memorem respondentem nostrum, ne nimis sibi, quod facit, tribuat. Præterea, non est ibi sermo absolutè de missione ad munus docendi, vel annuncandi Evangelium. Ad hoc enim jampridem antea Paulus erat missus ab ipso Domino Iesu, & hoc uterq; antea per functus fuerat: sed tantum de segregatione ad opus quoddam singulare, nēpe ad annūciandū Evāgeliū certis quibusdam hominibus, quibus per hos & non per alios Dominus Iesus illud annunciarī voluit. Opus, ad quod erant vocati, non erat licentia primū prædicandi Evangelium, sed provincia illis solis data quibusdam hominibus illud annuncandi, quæ alii fuit negata. Deniq; factum illud singulare est, & totum miraculosum, ideoq; ejus, quod perpetuò fieri debet, norma esse nullo modo potest. nec enim usquam legitur, eo modo esse mittendos ministros ad docendum alios, quo missi erant Paulus & Barnabas.

Timotheum & Titum missos esse à Paulo videamus, quomodo probet respondens. Quod ad Timotheum attinet, citat locum 2.Tim. 1. Is autem sic habet:

Habet. Propter quam causam admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. *Hic locus nihil de munere docendi loquitur, sed de gratia Dei, quæ erat in Timotheo.* At gratia illa non erat ipsum munus, sed dona spiritualia, quæ ei miraculoſo modo contigerant. Vult enim Paulus, ut ea Timotheus resuscitet, quod de munere ipso dici non potest. Contigerat ergo gratia quedam singularis, & Spiritus sancti dona, (de quibus versus sequenti loquitur) Timotheo per impositionem manuum Pauli, at non ipsum munus docendi. Hoc enim alio planè modo contigerat, vel contingere poterat, nempe per Prophetiam, hoc est, per suffragia virorum primariorum in Ecclesia Christi, cum impositione manuum Presbyterii. *Vnde etiam videre est, istam manum impositionem non solis Apostolis competere, verum etiam aliis in Ecclesia, nempe Presbyteris.* Presbyteri autem sunt non tantum illi, qui alios docent, sed etiam, qui curam gerunt salutis aliorum, & praestant illis pietate, gravitate, rerum experientia, vel etiam ætate. ob quam causam etiam seniores ætate Presbyteri appellantur, & ipsi Presbyteri aperte distinguuntur ab illis, qui laborant in verbo & doctrina.

Sedetsi concedatur, Paulum per manum impositionem misisse Timotheum, quid hinc efficeret respondens? Hoc nē, ut omnis, quicunq; docendi manus subit, ab aliquo mittatur? atqui a specie ad genus non valet affirmans conclusio. Potuit tunc mitti Timotheus

1. Timot. 4.

14.

Modus con-
stituendi
Ministros.

1. Tim. 5. 24

1. Tim. 5. 17c

motheus (quod etiam de Tito dicendum est, de quo
tantum, quod ad hanc rem attinet, legitur, eum
relictum fuisse a Paulo in Creta, ut ea quæ decessent,
corrigeret) a Paulo, vel etiam ab aliis Senioribus Ec-
clesie, non quia id ad munus illius docendi esset ne-
cessarium, & quod sine missione ista, Titus docere
alios non potuisset: sed quia tunc sic requirebat or-
do & decorum Ecclesie. Nimis enim turpe fuisset,
in bene jam constituta Repub. tantam esse actæ*xi*av,
& ea negligi, quæ ad eam ornandam pertinebant,
ut etiam hodie indecorum esset, absq; certo ordine
& decoro eos constitui, qui alios docturi sunt, siqui-
dem sint cætus constituti, & in illis Seniores. Non
igitur, quid olim factum sit, vel quid hodie fieri pos-
sit, sed quid fieri necessariò debeat, hoc queritur, &
hoc in controversia est. Hoc autem non ex exemplis,
sed ex legibus discendum est. Leges autem sunt ca-
nones Apostolorum, quibus describuntur omnia, quæ
pertinent ad constituendos Episcopos & Doctores. In
illis, quoniam nulla fit mentio missionis, hinc conclu-
dimus, eam ad ipsam muneris Episcopalis sustanti-
am & naturam nullo modo requiri. Quò accedit,
quòd, quia tanta erat Apostolorum & aliorum tunc
temporis autoritas & dignitas, ut per manum im-
positionem darentur Spiritus sancti dona ei, cui im-
ponebantur, planè absurdum futurum fuisset, &
tantum non impium, contemnere tantum Dei do-
num. Hodie vero, quia nihil tale ab illis hominibus
sperandum est, qui alicui manus imponunt, vel o-
mnino necessarium hoc ipsum non est, vel saltem a-

Vnde con-
stitutio Mi-
nistrorum
petenda.

*lia de causa usurpari debet, quām ut aliquid per id
iis, quibus manus imponuntur, conferatur. Sed de
hoc plura capite sequentia.*

*Expositis causis, cur mitti eos, qui alios doctrinari
sunt, oportere censuit respondens, impedit ulte-
rius ea, quæ scripta sunt ab anonymo, ubi, si quis dicat de tali factō docendi sermonem esse, ut publicè
id fiat, & ex peculiari munere, ait anonymous, ad
istiusmodi munus comprobandum, satis su-
perque esse, si illi ita velint, qui cohortationes & explicationes istas audiant. Ad ea hoc
modo adversarius respondet. Quām hoc absurdum
est, quis non videt? Mitto Lutherum
antesignatum vestrum a Muncero Anaba-
ptista missionem legitimam flagitasse, cùm
tamen is quoque auditores haberet, hoc, in-
quam, mitto: solum dico, si hoc, quod ait,
sufficit, nullus erit hæreticus quantumvis
pestilens & blasphemus, cui venena sua spar-
gere non liceat. nam & is semper habebit a-
liquos, qui prædicationem ejus rectam esse
volent. Cur ergo in veteri Lege falsi Pro-
phetæ a prædicatione arcebantur? Cur Pse-
udo apostolos Paulus toties accusat? Sanè &
isti habebant, ad quos verba facerent, qui-
que doctrinam eorum non probarent so-
lū, sed etiam miris in cælum ferrent laudi-
bus. In quibus verbis planè extra oleas vagatur Ignoratiæ
respondens, & vel per ignorantiam, vel per astutiam ^{Vel astutia} aliud tractat, quām tractare debebat. Quid enim ^{Miedzib.}*

hoc ad rem, quod Lutherus a Muncero Anabaptista legitimam missionem flagitavit, cum tamen is quoque auditores haberet? Non quid Lutherus fecerit, sed quid facere hac in re debuerit, queritur. Nam si quis ipsum etiam Lutherum interrogasset, a quo missus fuisset, certe quod responderet, non habuisset, nisi quod valde ridiculum omnibus esset. Erravit hoc in re Lutherus, dicam, & cum alia ratione premere debuisset Muncerum, hac eum premere maluit, que apud vulgus esset speciosa. Sed quia hoc mittit respondens, mittamus & nos.

Nonne vero hoc est declinare vim argumenti? affirmatur, sufficere ad id, ut quis publicè alias cohortari, & Scripturas eis explicare possit, si ab illis, quos docet, hoc exigatur & approbetur. Respondens ait: hac ratione omnes hæreticos licentiam habituros hæreses suas seminandi, quia scilicet semper suos habeant assecas. At verba anonymi de Ministro vero verbi divini loquuntur, & ita in genere dicta sunt, ut ex eis apparere possit, quidnam sit necessarium in eo constituendo. Quo igitur candore, hoc ad hominem hæticum & blasphemum pertrahitur? Hæretici & blasphemi ideo fugiendi sunt, quia hæreses seminant & blasphemias, etiam si totus eos mundus audiat, & hæresem & blasphemie convincendi sunt ex sacris literis. Quod si tamen hæretici esse & blasphemare pergent, populus Dei monendus est, ut illos fugiat, illi vero Dei iudicio relinquendi sunt. Vult enim se numerò Deus extare hæreses, ut ii, qui probati sunt, siant manifesti.

Sophista
Miedzjb.

Quomodo
tractandi
hæretici, &
cur?

festi. Itaque, non legitur apertè, neque in veteri Fœdere, prædicatione falsis prophetis fuisse interdicta, quod affirmat respondens: sed tantum hoc legitur, eorum falsam prædicationem fuisse culpatam & graviter reprehensam; populum verò, ne illis auscaltaret, monitum: neque in Evangelio quicquam aliud legitur, quam quod ait respondens, Paulum & alios Apostolos accusare pseudoapostolos. Potest autem alicujus prædicatio accusari, imò etiam damnari, & tamen hinc non sequitur, eum non posse ulla ratione illam disseminare. In negotio enim religionis, præsertim verò Christianæ, omnia sunt agenda colloquiis, persuasionebus, argumentis, quæ ex sacris literis, præsertim verò ex libris novi Fœderis de prompta sint. His refutandæ hæreses, his os obturandum blasphemis. Tandem enim veritas, quò magisteritur, eò magis nitescit, & illustrior appareat. Consortium denique istorum fugiendum est. Præterea nihil in eos tentare, salva Christiana religione, licet; & qui plū tentant, iijam Antichristi spiritu reguntur.

Pergit respondens, & ratione quadam demonstrare conatur, non sufficere, eum, qui alios docere instituit, ab iis, quos docturus est, deligi vel approbari, quæ est, quod Minister a plebe, cui prædicat, potestatem nullam accipere possit: cùm munus Ministrorum sit spirituale, omnis autem potestas plebis sit multò inferior, quippe quæ circa pacem externam & corpus occupentur. Sed totum hoc planè nihil est. Plebs enim nihil confert reipsa ministro verbi divini,

quod ad essentiam munera ejus constituendam pertineat, sed eum, qui jam ad docendum alios aptus est, & ea, quae ad munera ministerii essentiam requiruntur, possidet, tantum deligit & approbat. Ad diligendum autem vel approbandum aliquem in hoc munere, nulla alia re opus est, quam ut intelligatur, an ea in ipso insint, quae ab Apostolo requiruntur, nempe aptitudo ad docendum alios, & vita inculpata. Quorum hoc alterum ita comparatum est, ut in omnium oculos incurrat, & proinde iudicio etiam omnium subjectum sit: illud vero non potest esse ignotum, saltem quibusdam ex plebe vel auditoribus, cum multi inter eos semper esse possint & sint pietate & iudicio praestantes, qui loco Seniorum sunt. Sed non sunt cœendi ex Romanae ecclesiæ iudicio omnes, qui sunt extra Ministros, quasi scilicet solis rebus mundanis occupentur. Possunt enim multi esse, qui unâ cum ministro curam Ecclesiæ & eorum quæ ad eam regendam spectant, gerant, quemadmodum sacrae literæ testantur, & a nobis etiam in hoc ipso scripto ostensum est. Error crassus & corruptela hæc ingens est in ecclesia Romana, quam introduxit libido regnandi illorum, qui spirituales præ aliis appellari gaudent, & qui nescio quid non sibi arrogant, quo phaleratam illam alios ad hoc ministerii munus inaugurandi, autoritatem tueantur. Sed & hæc tandem omnia præter fucum nihil esse, Deus patefaciet. Quanquam id totum præterea uno verbo refutari hodie potest. Si enim sunt bene constitutæ Ecclesiæ, jam facile ministri seniores & exer-

exercitatores, testimonium de ejus, qui ad munus illud aspirat, aptitudine perhibere, & judicium ferre possunt, quo porrò reliqui assentientes, eundem diligere & approbare possunt.

*Calumniatur porrò graviter respondens anonymum, dum ita eum facit loquentem: Imò dabit potestatem (scilicet plebs) sacramenta administrandi. In sacramentis enim nulla vis cælestis inest, nulla mutatio intercedit: sola sunt signa sacramentalia, quæ quivis tractare potest, dummodò delegatur ab iis, quibus hæc sacramenta ministrare debet. Nec enim ita loquitur *anonymus*, ut ex ipsius verbis appareat, quæ hic ascribam loco responsonis ad hanc calumniam: Respondeo, ait, verum hoc futurum (nempe sine divina vocatione non posse sacramenta administrari) si opus foret, ut is ipse, qui scilicet ista administrat, vel signis istis sacramentalibus, aquæ scilicet pani & vino, cælestem aliquam vim inderet, aut mutationem afferret, vel saltem tali actioni ex persona sua sanctitatem aliquam conciliaret. Verum, quicquid vel virtutis, sive etiam, (si ita placet) mutationis signis istis accedit, vel sanctitatis in actione inest, id a divino instituto pendet, non autem ulla ex parte ex administrantis persona, &c. Nonne hic quodammodo conceditur, id, quod hodie de sacramentis creditur; & tantum negatur ex eo consequi, divinam aliquam vocationem requiri in eo, qui ea administret:*

cum totum illud, quod sacramentis inest, aliunde pendeat, quam a persona administrantis. Et tamen respondentem ita cavillari anonymum non puduit.

*Protervia
Miedzib.*

Non erat autem, quod ita protervè illuderet respondens illis, qui pane & vino in Cœna Domini utuntur, quod scilicet sit panis à pistore & vinum de cupa, & quod quivis utrumque domi possit habere, nec opus esse, ut ea de causa ad cætus eorum commeat. Sunt enim primùm multi ex illis, quos pro hæreticis habet respondens, qui longè aliter de ista tota resentunt, nempe Lutherani. Quod verò deinde alios attinet, quis potest negare panem & vinum esse in cœna Domini? Panem verò a pistore emi, vinum e vase sumi, quid novi est? Panem quidem & vinum, quivis domi habere potest: sed usum talem panis & vini, qualis est in cœna domini, non, nisi in Christi cætu, cui illud præceptum datum est.

Ridet respondens simplicitatem hujus ceremoniæ, quam parabilem esse voluit D. Iesus: Interim non considerat, omnia ea, quæcunque præter hanc simplicitatem addita a Pontificiis sunt, non tantum esse ludum & jocum, sed etiam gravissimam superstitionem & deplorandam idolatriam, in qua nuncquam incidisset populus Christi, si ista simplicitate contenti fuissent ejus antistites. Et hic dum Calvinistas perstringit respondens, iterum sese prodidit, quod non considerarit, fibirem esse cum hominibus, qui tantum non sunt Pontificii, non verò determinatè tantum Lutherani vel Calviniste. Itaq;

non

non, quid Calvinistæ faciant, erat exagitandum, sed ad id, quod objectum erat, respondendum.

Baptismum etiam eorum, qui ab Ecclesia Romana defecerunt, ideo rejicit respondens & damnat, quia longe aliâ ceremoniâ ministretur apud eos, quam receptum fuerat in veteri ecclesia, nempe Romana. Ergo ceremoniæ rem ipsam possunt facere sanctiorem, aut minus sanctam? Egregia religio, eaq; Christiana scilicet, que certat cum aliis ceremoniarum bonitate. Certè istam religionem robis non invidemus. Quid verò juvat, nunc esse ceremoniam receptam in Ecclesia, & per non pauca secula durasse, si non habeat ullū expressum mandatum vel exemplum, vel aliquam verisimilitudinem in sacris literis? Talem autem esse ceremoniam baptismi vestri fatentur omnes Pontificii doctiores. Cogitandum erat respondenti, sibi rem esse cum iis, qui ad Apostolica scripta omnia referunt, non autem ad ultam ecclesie consuetudinem. Sed hoc jam cum reliquis transeat.

Pergit respondens & ait: Esto sanè, in Sacramentis vestris nulla sit vis, nulla mutatio, sed nudum signum, sed nec in sacramentis veteris Legis plus fuit (erant enim elementa egena teste Paulo) & tamen Ministri Legis veteris non a plebe potestatem accipiebant, sed ex Mose, &c. & tandem concludit: Si ergo illi tales erant, ut præter signa & figuræ nihil haberent, neque tamen ab alio, quam a Pontifice initiari ad cultum divi-

Ceremoniæ
is cum E-
vangelicis
certat Mie-
dzib.

num exercendum possent, quis vobis permisit, ut ab hac lege certa & perpetua in Ecclesia Dei discederetis?

Sacramenti Mitto nunc illud, quod respondens ea, quae in veteri Fædere siebant, sacramenta appellat. Hoc enim non ideo facit, ut veritati,

vox insolens. sed ut causæ suæ utcunq; consulat. Mitto etiam illud, quod Legem, veterem appellat, quasi scilicet sit

Lex, vetus non appellatur. Lex nova, & non potius ipsa Lex Evangelio vel gratia in eo revelatae opponatur. Mitto etiam illud, quod illa, quæ siebant sub veteri Fædere, ait fuisse elementa egena. Hoc enim etiam si falsum sit: (non enim ait Apostolus, ea per se fuisse egena elementa,

durante adhuc Lege; tunc enim erant perfectissimum aliquid, sed egena elementa ea nominat, respectu Evangelii revelati) leviusculum tamen censi potest in nostro respondente, qui non admodum Theologicæ peritus vel studiosus esse videtur. Sed que

comparatio est inter ea, quæ antiquitù sub lege siebant, & inter hæc quæ nunc sunt sub Evangelio, circa eos qui alios docēt, ut hinc cōcludi debeat id, quod

Sacerdotes veteris Testamenti, differunt a Ministris novi Testamenti. ruit adversarius? Estne hodie cultus divini & ceremoniarum istarum administratio ad aliquam cer-

tam familiam alligata, ut olim erat administratio legalium ceremoniarum? Nihil minus. Tunc pri-

rum ferè erat, natum esse ex familia Aaronis & Eleazari, at nunc nulla nativitas ad docendum alios sub Evangelio sufficit: sed & aptitudine ad docendum, & vitâ in primis inculpatâ opus est ei, qui hoc munus administrare velit. Et

non

ea non est nunc ita alligata ad certas personas administratio harum ceremoniarum, ut olim istarum. quod etiam ipsi adversarii de baptismi sacramento (quod vocant) negare non possunt. Tunc vero religio & piaculum erat vel tetigisse ea, que Sacerdotibus erant a Deo commissa. Non ignoramus quidem, quantopere studeant Pontificii suam istam successionem, missionem, & talia similia, probabilia sacere ex iis, que sub lege fiebant: sed dum hoc agunt, apud omnes cordatos sese produnt, quod, quomodo istam suam phaleratam autoritatem ex sacris litteris novi Fœderis, probent, non inveniant. Non, quid olim factum sit a populo Israelitico, videndum est. vetera enim præterierunt, ecce facta sunt nova omnia: sed quid Christus, quid Apostoli hac in re prescripserint, hoc in primis sequendum est. Nulla hic successio, nulla propagatio quicquam valet, que sola ostentant Pontificii sacerdotes, sed id, quod supra non semel annotavimus ex Epistolis Pauli ad Timotheum & Titum, de proprietatibus Episcoporum.

Pergit respondens & ait: Quod autem tu dicis, non esse necesse in Cœna Domini administranda unum certum aliquem deligi, idque probari ait exemplo Christi, tota erras via. At non dixit anonymous id probari exemplo Christi, sed patere illud ex ipsa ejusdem cœna institutione. Sed sumamus hæc pro iisdem. Videamus, quomodo probet respondens anonymous tota viâ errare: Christus enim, ait, certos homines de-

legit, nempe Apostolos, quos etiam idcirco
solos ad cænam adhibuit, mandans illis, ut,
quod ipse fecisset, ipsi deinceps facerent, ut
sicut ipse distribuisset corpus suum, ita ipsi,
successoresque eorum, & qui ab ipsis legitimi-
mam acciperent potestatem, aliis vicissim
distribuerent. Primum non negat *anonymus*,

Christum præcepisse Apostoli, ut ritum istum dein-
Termino s
mutat
Miedzib.
ceps servarent: sed negat, specialiter eis munus ad-
ministrandi hunc ritum demandatum tunc fuisse.
Posse autem aliquem ritum quendam servare, nec
tamen munus eum administrandi habere, diver-
sa planè esse, nemo non videt, idq; ex epistola ad Co-
rinthios clarum eße dixerat *anonymus*. Deinde ve-
rò, unde colligit illud respondens, quod ita absq; o-
mni probatione asserit, *Christum corpus suum tunc*
distribuisse? Panem enim *Christum* fregisse & Apo-
stolis dedisse legimus, qui comedи ab illis poterat &
comedebatur. Corpus autem Christi tunc ad men-
sam assidebat, & comedи nullo modo reipsa poterat
absq; sui corruptione. O nugas verè Pontificias!

Si dicas Christum, cum daret panem, dixisse,
hoc est Corpus meum; longè hoc est aliud ab eo, quod
corpus distribuerit. Potuit enim Christus panē distri-
buere, & de eo dicere, *hoc est corpus meum, alia de*
causa, quam quod panis iste esset reipsa suum corpus,
& quod distributo pane, corpus suum distribueretur:
Quis sensus verborum:
Hoc est corpus me-
um.
Præsertim, quod ista non dicam explicatio, sed opini-
natio & absurdă sit & impossibilis & blasphemā.
Dixerant olim Iudei, & dicere etiam poterant e-
adem

adēm hora, quā cēna hæc Domini instituta fuit, dē agno illo paschali, Hoc est Phāse Domini, & tamen nemo credebat istum agnum reip̄a fuisse Phāse Domini: sed omnes credebat, istam commemorationem insolitam agni, fuisse commemorationem istius Phāse. Quid igitur vetat, quominus eadēm etiam ratione dictum fuerit de pane, quod fractio & comedio ejus insolita (jam enim cēnā perfuncti erant Apostoli) esset commemorationis corporis Christi, quod paulò post tradendum, vel, ut Apostolus loqui-
tur, si textus Græcus consulatur, frangendum erat? 1. Cor. 11.
præsertim cūm hodie pleriq̄ sentiant, cēnam Domini successisse in locum agni Paschalis, quod nos nunc quidem examinare nolumus, sed tantum dicimus, non esse in universa sacra Scriptura loquendi modum similiore huic, quo Christus in cēna sua instituenda usus est, quam is est, quo olim Iudæi in celebrādo agno Paschali, ex ipsis Dei præscripto usi fuerant.

Sed deinde, unde hoc etiam constat, Apostolos Audacia habuisse successores, quod respondens affirmat, nulla Miedzib. verò ratione confirmat, nec confirmare potest? Que singulāria, & propria certorum hominum sunt, ea non possunt esse aliis communia. At munus Apostolorum erat singularissimum. Apostoli enim, & cum eis Prophetæ novi Fœderis, fundamentum sunt Ecclesie Iesu Christi. Quomodo igitur alii eis succedere in hoc munere potuerunt? Si quis dicat eandem doctrinam alios etiam professos fuisse, quam Apostoli profitebantur, & hinc apparere successionem. Respondemus id, quod vulgo circumfertur, Duo cūm faciunt

24.

Apostoli
nō habent
successo-
res.

faciunt idem, non esse idem. Etiamsi igitur hodie quis eandem planè doctrinam annunciet, quam Apostoli olim annunciarunt, non tamen ideo successor illorum habendus est. Diversitas enim annunciandi, diversitatem etiam facit munera. Apostoli propriè quodammodo annunciaſſe dici possunt: tum quia primi post Christum toti mundo Evangelium annunciarunt, tum quia illud modo miraculoſo confirmarunt. Hoc utrumq; quia de nemine alio dici proprietate potest, nemo etiam aliis pro successore Apostolorum habendus est. Arrogant quidem sibi hoc utrumque Pontificii, dum ajunt, quosdam ex ipsorum Sacerdotibus vel Monachis ad ea loca commigrare,

Nemo ho-
die ut Apo-
stolus Evan-
gelium an-
nunciat.

ubi Christus nunquam antea prædicatus fuit, & multa etiam miracula ab eisdem patrari. Sed ut ut homines isti Dei expertes sint, ad quos transeunt isti sacerdotes, tamen non propterea successores Apostolorum censendi sunt ii, qui eos docent: cùm rem jam pridem humano generi revelatam, decantatam, approbatam, non tam annuncient, quam annunciatam exponant, & ad eam recipiendam eo cohortentur: & si se aliter ibi gerunt, id sibi arrogant, quod eis planè negatum est. Deinde, si miracula faciendi potestatem habent, cur eam non h̄ exercent, inter medios (quos vocant) h̄ereticos, ut tantò facilius eos ad se convertant. Quanquam & hoc notandum est, si quis fortasse hodie miracula faciat, nulla ratione ei propter hoc solum fidem adscribendam esse, cùm fieri posſit, ut ipſe Diabolus Deo permittente, ista edat, ad seducendum vel ad deiſ;

Miracula
non sunt
argumen-
tumverita-
tis infalli-
bile.

detinendum in errore homines. Sic enim de isto ho-
mīne peccati & filio perditionis testatur D. Paulus,
eum multa & varia prodigia mendacia editurum, 2. Thess. 2.
quod olim etiam Deus in veteri Fædere futurum
prædixerat, & ne fides talibus adhiberetur, etiam si
miracula facerent, si eos a Deo vero abducerent,
graviter monuerat. Vnde denique, hoc habet respon-
dens, alios etiam fuisse, qui ab Apostolis legitimam
potestatem acceperint? Quasi scilicet ex aliena vo-
luntate tantam rem pendere Deus voluerit? Sed
hæc infra videbimus.

Nunc videamus, quomodo impugnet respon-
dens id, quod dictum fuerat ab anonymo, Christum
Apostolis, non ut Apostolis, sed simpliciter, ut disci-
pulis, eaq in re omnium fidelium quasi personā suscep-
tientibus cænam suā præcepisse, idq aperte ex iis, que
Paulus 1. Cor. 11. scribit, intelligi posse. Ait igitur,
hoc tuum cōmentū est, quod nulla ratione
probare potes. At jam id probaverat *anonymus*:
sed hoc rejicit respondens, de quo etiam nos paulo
post aliquid dicemus. Probat autem commentum es-
se anonymi, quod dixerat, hac ratione: Si Aposto-
li interfuerint ut discipuli, an non satius e-
rat, ut etiam discipuli omnes aut saltem ali-
qui ex ipsis adhiberentur ad cænam? Cur ergo
nullus admissus est? quia hoc non perti-
nebat ad illos, sed ad solos Apostolos, quos
tunc Christus creavit Sacerdotes, conferens
illis potestatem conficiendi sui corporis, ut
tota semper credidit antiquitas. Bone Deus,
quantus

Fallacia quantus hic fallaciarum & errorum cento! Primùm
Errores hæc conjectura potius est, quām ratiocinatio firma.
Miedzib. Causa enim esse magni momenti potuit, cur soli Apostoli ad ritum istum celebrandum adhiberentur,
 quia tamen non ad illos solos spectaret. Semelne legitur, Christum assumisse duodecim discipulos, &
 hoc vel illud coram eis vel locutum esse, vel etiam fecisse, quod tamen non ad solos Apostolos, sed ad omnes ejus fideles pertinebat? Iam Christus illos receperat comites & socios itineris & laboris sui: Illi quasi perpetuò ei præsentes aderant: Pluribus etiam ad celebrandum Pascha opus non erat, & aliquot horum ab ea excludi multò magis absurdum fuisset,
 quām aliquem alium non suisse admissum, præser-
 tim cūm testes omnium, quæ Dominus fecerat, esse deberent. Quid si ideo etiam Christum hoc fecisse quis dicat, ut varia comminiscendi, illi, quibus veritas displicet, occasionem haberent, & sic seipsostricarent, ut a multis retrò seculis factum esse, & hodie fieri videmus? Deinde verò pronunciatum hoc est ita audax, ut vix quicquam audacius dici ab homine mortali possit, Christum tunc creasse

**Blasphæ-
mia Mied.** Apostolos Sacerdotes, conferens illis potestatem conficiendi sui corporis. O tempora!
 O mores! Sacrae literæ testantur, Iesum Christum esse, qui seipsum offerat coram Deo. & hic audimus Apostolos suisse creatos sacerdotes, qui Christum scilicet offerrent. Quo, si quo alio, produnt suam nimiam ignorantiam & stupiditatem Pontificii omnes, qui planè non intelligent illud, quod religio-

nis Christianæ pars est potissima , nempe , quid sit Christi sacrificium. Et ut rectius succedat commentum , errori addentes dicere non erubescant , Apostolos olim potestatem habuisse conficiendi corporis Christi , & hodie etiam omnes illorum (scilicet) successores potestatem idem conficiendi habere , ut ita tota sit fabula & integra idolatria. Quid igitur indignantur hodie Iesuitæ , & alii Monachi , quod aniquitùs in libris Pontificiorum scriptum est , Omnis Sacerdos est creator sui creatoris , siquidem Sacerdos omnino potest Christi corpus confidere , qui Christus ex mente adversariorum , est creator cœli & terræ ? Hoccine est Christi religionem sanctissimam propugnare ? Apagè istas blasphemias. Apagè istos confectores corporis Christi. Pudentat tanti erroris omnes illos , quicunq; eum unquam animis suis approbârunt , veletiamnum tuerentur.

Solent Pontificii , dum super hoc errore urgenter , responsare , se metuere , ne terra sibi dehiscat. Nec immerito. Tanta enim est fœditas hujus opinionis , ut admiranda sit Dei clementia , quod eos , qui illam sovent , tamdiu conservet. Iam sivera est Pontificiorum sententia de hac re , non est quod me ruant , ne terra illis dehiscat , propterea quod cum aliquo ea de re colloquuntur , siquidem illi veritatem defendunt , & alienos errores refutant. Hac ratione nunquam cum Iudeis instituendum erit colloquium , qui negant Iesum esse Christum , & proxime , quod vos sentitis panem esse corpus Christi , & ,
alios

alia Christianorum placita. Sed voluit Deus extare talem loquendi modum, ut rei istius absurditas illis, qui probi sunt animi, hoc ipso tanto facilius apparet, Oportuit etiam Diabolum istum loquendi modum hominibus instillare, ut, cum non haberet, quo fæditatem erroris palliaret, saltem hac ratione præcaveret, ne, si sermo de eo instituatur, facillime is agnosceretur.

Sed quomodo tandem respondens demonstrat istam suam conjecturam, & tam audax pronuntiatum? ut tota, ait, semper credidit antiquitas.
*Antiquitate defensio
redit errores Miedzib.* Dignum patellâ opusculum. Tantumne rem tam negligenter, tam imprudenter, tam impudenter agere? Antiquitas igitur tantum valebit, ut id, quod & sacris literis & rationi contrarium est, obtineat. Sed quenam antiquitas ita semper credidit? Antiquissima est antiquitas Apostolica. Hanc vero ita credidisse, nec ipse, credo, respondens, dicere audebit. Tantum abest, ut hoc unquam Apostoli dixerint, aut ex ipsorum scriptis id colligi possit, ut illis, quæ scripsierunt, planè & ex diametro hoc sit contrarium. Alia etiam quedam post ipsos Apostolos seculata credidisse, probare nulla ratione poterit respondens. Reliqua vero, quæ jam a mille & paulo amplius annis labuntur, ita credidisse credimus, & propter hoc ipsum credere illud nolumus, quia hoc re quenam cens ista antiquitas crediderit. In religione enim antiquitas non omnis antiquitas, sed sola Apostolica, valere debet, reliqua terriculamentum quoddam sunt, quo homines

homines incautos illi decipiunt, qui ipsi seducti, alios etiam seducunt.

De loco 1. Cor. 11. ait: Locus Pauli nihil pro te facit. Tantum enim Apostolus historiam cœnæ Domini commemorat. An autem Apostoli horum vel illorum personam gesserint, nihil dicit, cum id ad institutum ejus non spectaret. Primo falso est, *Apostolum 1. Cor. Falso* 11. tantum historiam Cœnæ Domini commemorare. *dicit Miedz* Nam & causam commemorat, cur ea de re ad illos dzb. scripsiter, & finem celebrationis illius explicat, & quæta cum religione celebrata sit, & deniq; quam graveriter illi a Deo punjantur, qui indignè eam celebrent, luculenter persequitur, ita, ut in toto novo Testamento nusquam plus & plura de hac ceremonia dicantur, atq; in hoc unico loco. Deinde, non ait simpliciter *anonymus ex loco illo intelligi*, *Apostolos Verba anno* discipulorum personas gessisse, sed ait, *ex loco illo in ny: mutato* intelligi, Christum omnibus suis Apostolis, non quidem *Miedz*, ut Apostolis, sed simpliciter ut discipulis, eaq; in re omnium Christi fidelium quasi personam sustinentibus præcepisse, ut istum ritum posthac servarent. Quod an ex eo intelligi possit, mox videbimus. Prius *Verba anno* enim addam & hoc: Aliud est, dicere, aliquid ex ny: mutato, loco Apostoli intelligi posse, & aliud, *Apostolum istud Miedz*, in loco illo dicere. Quod enim dicitur, id intelligi ex loco, non est necesse: quod ex loco intelligi necessarium est, illud in loco illo non dici aperte, præsupponitur. Intelligi autem posse *ex loco 1. Cor: 11. Chri-* *De loco* stum, Apostolis suis, non ut Apostolis, sed simpliciter *1. Cor. 11.*

ut discipulis, eaq; in re omnium fidelium quasi personam sustinentibus, celebrationem cœnæ suæ precepisse, inde patet: quod nulla extent ejus rei testimonia, in illo cœtu Apostolum aliquem, vel alium ab Apostolo illic relictum tunc, cum Apostolus ad eos scriberet, fuisse: & tamen tantum abest, ut nolit eos cœnam Domini celebrare, ut potius eos horitetur ad eam jugiter celebrandam. Imò ita perpetuò loquitur, ut appareat, eum alloqui universum cœtum, se scilicet ei tradidisse, hoc est, eundem docuisse, quid a Domino acceperit, quomodo scilicet cœna Domini celebrari debeat, non autem constituisse quosdam, quibus hoc peculiariter, tanquam munus aliquod demandaverit, quomodo ritus iste celebrandus sit. Proinde etiam eundem cœtum de insolentia quodam, quæ circa celebrationem cœnæ Dominicæ exerciterat, monet, & ad rectum & legitimum eiusdem usum cohortatur. Hoc verò totum nullo modo facere potuisset, si, quod respondens vult, solis Apostolis, vel ab eis constitutis (ut is eos vocat) successoribus illud demandatum fuisset. Apostolum nullum ibi tum suisse, nemo est, qui negaturus sit. Non opus enim fuisset Corinthiis doctrinâ Paulinâ: cum omnes Apostoli hac in re pariter essent eruditi ab ipso Domino. Neminem etiam ab Apostolis substitutum ibi suisse, vel saltem non in ejus, sed in totius cœtus arbitrio celebrationem istius ceremoniæ fitam suisse, hoc inter alia ostendit, quod non ad illum verba sua Paulus dirigit, sed ad totum cœtum, & eundem reprehendit: cum tamen id Episcopo tribuendum potissimum

mùm fuisset, ut alibi fieri videmus, Apocalyps. 2. & 3.
in septem D. Iesu Epistolis Et hæc de loco 1. Cor. 11.
nunc dicta sufficient, quæ amplificare ideo nolo, quia
res est per se manifesta unicuiq; locum illum vel se-
mel non oscitanter legenti.

Pergit respondens, & ad id, quod dictum &
probatum fuerat, baptismum etiam a quolibet
Christiano administrari posse, respondet: Esto sa-
nè. Nunquid, quia baptismus a quocunq; extraordi-
nariè collatus valet, idcircò mini-
stri ordinarii non debent esse, quibus hoc ex
officio competat? Multa sàpè fiunt, præter
usitatum rerum cursum, quæ tamen ordini
fraudi esse non debent. Quod ergò fit in ali-
is, idem in baptismo accidit, quem propter
summam ad salutem necessitatem, absente
legitimo ministro, quivis conferre potest.
At primùm non ait *anonymus*, posse baptismum ex-
traordinariè a quovis administrari, sed simpliciter
absq; illa voce extraordinariè, affirmat, posse eum *Affingit*
a quovis administrari. Extraordinariè apud respon-
dentem est, cùm abest legitimus minister. At præter
locos ab *anonymo* citatos, ex quibus idem, quod nunc
dicimus, colligi potest, nonne *Actor.* 10. legitur, Pe-
trum Apostolum iussisse, ut Cornelius & ejus dome-
stici baptizarentur, cùm tamen ipse legitimus (ex
mente respondentis) minister præsens adesset? Quis
verò docuit respondentem, propter necessitatem *Error insi-*
ad salutem, eamque, ut ait, summam bapti-
smi, posse eum a quovis conferri? Certè nusquam

hoc apertè scriptum extat, nec ex ullo sacrarum literarum loco evidenter colligi posse, persuasum mihi est, baptismum, nempe aquæ, ad salutem summè necessarium esse. Futile igitur omne illud est, quod hic nobis differit respondens, de causa, cur quivis conferre possit baptismum, & relinquitur propterea cuivis licuisse & licere illum administrare, quia non sit proprium cujusquam muneris, aquâ aliquem baptizare.

Addit autem ulterius: Accedit, quòd non hisce finibus Ministrorum munus continetur, sed multa alia illis facienda sunt, quæ ut apud vos nihil mysterii habent, ita in Ecclesia Christi credita semper, & religiosè sunt observata, ad quæ omnia potestas illis est necessaria. Hoc autem si ita est, sequitur, non solum ideo in eligendis Ministris ordinem aliquem servari debere, ut decenter & certa quadam ratione omnia fiant, sed multò magis, ut accipient potestatem ab his, qui eam dare possunt. alioqui non Ministri sunt, sed fures & latrones, qui non per ostium ingrediantur in ovile Christi, sed aliunde ascendunt, ut furentur & occidant. Cur vero respondens non expressit illa multa, quæ facienda restant Ministris, & illorum sunt propria? Cur eadem facienda ab illis esse non probavit testimonio sacrarum literarum? Puduit scilicet eum tantarum nugarum. Nam si hæc mysteria sunt, confidere corpus Christi, Missam miru cum gesticulationibus celebrare,

Astutia
Miedzib.

brare, templa, sacra, campanas sacrificare, & his similia, quæ referre piget, administrare, nœ egregiam ille in cavillando Apostolicam doctrinam, & eam ludibrio omnibus extraneis proponendo, ponit operam. Haccine sanctissima Apostolorum doctrina docuerit, quæ neq; cum Christi Evangelio, neq; cum ratione quicquam commune habeant, sed mera sunt supersticio, mera idolatria! Apage istam talem & tantam blasphemiam.

In ecclesia vestra Romana multa talia haec-
nus credita & observata fuisse novimus, sed satis est,
quod non in illa primitiva Apostolica. Vestram enim
ecclesiam esse propriè & verè Apostolicam, tum erit
verum, cum lux tenebræ, & tenebre lux, & verum
falsum, aut falsum verum futurum est.

Cur verò toties hoc iterat respondens, neees-
se est, ut ministri potestatem ab illis accipi-
ant, qui eam habent? Quid enim si negetur a- Errores
repedit
Miedzib.
liquem talem esse, qui potestatem alicui dare possit,
quomodo alius eam accipiet? & præsertim hoc tam
deplorato tempore, & seculis præteritis non minus
deploratis. Si enim neq; Apostoli potestatem alicui
unquam dederunt res sacras administrandi, quid ea
det alius homo impurus, vel saltē ipsis multò inferi-
or? Nihil nūc dico, quod tacitè hac ratione respondes,
distinguat ministros verbi Dei ab aliis, qui mini-
stris potestatem dare possint. quasi verò esse possint
superiores illis, qui alios docent: cum tamen illi in-
ter Presbyteros & Seniores Ecclesiæ sint primi & 1. Tim. 5.17
præcipui. Hoc autem ex fabrica Romanæ ecclesiæ

natum est, ubi tot sunt gradus quot proventus : & ubi is etiam Episcopus vel eo superior esse potest, qui nunquam alios quicquam docere potest.

Illud vero temerarium est, quod tantum suum istius nanius ascribit respondens, ut eos, qui isto modo Pontificio ad munus docendi non sint iniciati, propter hoc solum, fures & latrones appellare non vereatur, qui non per ostium in ovile Christi ingrediuntur, sed aliunde ascendant. Hoc scilicet Christus docebat, cum Ioh. 10. de ingressu in ovile differeret. eum per ostium ingredi, qui ab alio Episcopo superiori ad munus docendi alios destinetur, licet sit ad docendum ineptissimus, & moribus etiam corruptissimus; eum vero, qui licet sit ad docendum aptus, & vice inculpatæ, si ab alio potestate, nescio quam, non acceperit, aliunde ascendere vel intrare? Digna Pontificio Theologo explicatio. Tales explicationes pepererunt nobis magnum risum, maiorem dolorem, maximum damnum. Nonne verò is per ostium ingreditur, qui alios viam salutis docet, licet nullo planè modo tandem vocatus aut constitutus sit? Nonne verò is fur est & latro, qui furatur & occidit, qui viam salutis pervertit, & homines in exitium eternum præcipites agit, licet tandem ab ipso Iesu Christo ad munus suum constitutus esset? Loquatur veritas. Respondeat proborum conscientia. Hec scilicet nostrorum temporum est injuria, ut omnia homines ex ceremoniis, quarum potestatem sibi meti ipsi arrogarunt illi, penes quos summa rerum est, & quæ oculos potius fascinare, quam

Ineptiae
Miedzib.
in explica-
tione loci
Ioh. 10.

quam menti humanae satisfacere possunt, non vero ex ipsa veritate, quae semper paucissimis nota fuit, quæq; in sacris literis abscondita latet, cùm maxima non corporis sed animarum jaētura, metiri vel. velint, vel etiam cogantur. Sed hæc hominum temerariorum temeraria judicia, Deo & Iesu Christo committimus: Illis vero mentem meliorem ab eodem ex animo precamur.

Responsio ad CAP. II.

Demissione ministrorum, quod est apud respondentem VI.

Probaturus respondens, nihil cause habuisse Evangelicos, & alios, cur a veteri consuetudine (nempe Romanae ecclesie) eligendi & approbandi ministros discederent, Prolepsin anonymi reassumit, quam ipse met sibi objecerat nomine Pontificiorum, jam scilicet esse constitutum ordinem in ecclesia Romana, ideoq; illum non debuisse violari; violato hoc ordine, perspicuum esse eos, qui hodie Ministri sunt, non esse ritè electos. Et ad eam ita responderat anonymous, ordinem & rationem istam tunc servandam esse, cùm a recepta jam doctrina recedere nolumus, aut saltem non debemus. Quod si a recepta jam doctrina recedendum nobis est, neminem non videre, ordinem istum & rationem minimè servandam esse. Videndum igitur esse, an ministri, de quibus res est, eorumq; auditores id merito fecerint, nec ne? Nam si immerito, juxta per se corruere totam electionem & ministerium.

ipsorum. Sin autem merito, injustissime ac prorsus ridiculè ab eis requiri pristini ordinis & rationis in elezione vel approbatione hujus muneris, conservationem. Hæc Prolepsis & ad eam responsio anonymi est.

Adversus hæc verò sic agit respondens: Nihil hic dico, nullam causam habuisse adversarios, cur a recepta tot seculis Ecclesiæ Romanæ doctrina recederent. Quam enim causam afferunt, nempe Ecclesiam Romanam errasse, omnes semper hæretici attulerint, Novatiani, Donatistæ, Pelagiani, quos hæreticos fuisse, ne ipsi quidem, cum quibus modò negotium nobis est, inficiari possunt. Si ergò causa defectionis in illis probari non potuit, neque in nostris modò probari potest. Alterum igitur sequi debet, vel nullos unquam hæreticos fuisse post Christum,

v. Cor. ii. 11. Tim. i. quod Paulus negat, cum ait: oportet hæretes esse, & esse quosdam, qui circa fidem naufragaverunt, vel certè omnes hosce, qui se ab Ecclesia Romana segregarunt, esse hæreticos: cum communem causam cum veteribus hæreticis habeant, nec quicquam deferant præterea, quæ ab illis objecta & explosa sunt. Et his ita peroratis, ita attentum facit *anonymum*: Audin, bone vir, Dico te in hoc, de quo disputamus, nihilo meliorem habere causam quam antiquos hæreticos, aut si aliud habes, profer. Sat scio, non habebis;

nisi

nisi illud veltrum solenne: Erravit ecclesia Romana, quod vos dicitis & non probatis, ac ne probabitis unquam, sicut nec veteres illi poterant. Primum dico, quod ante a non semel dixi, & quod ut saepius dicitur, necesse est, respondentem, non leviter errare, dum credidit, se cum certo cuiusdam cætus illorum, qui a Pontificia ecclesia defecerunt, homine rem habere, interim vero non consideravit, sibi simpliciter cum eo, qui Pontificie ecclesiæ valedixerit, cujuscunq^t tandem sit cætus vel confessionis, negotium esse. Habet enim in hac parte communem causam omnes, qui a Pontificia ecclesia discesserunt, dum unanimi consensu docere nituntur, & demonstrant, istam ecclesiam Romanam non esse veram Christi Ecclesiam, sed ecclesiā Christi tantum professione, corruptissimam verò tam quod ad dogmata fidei, quam quod ad mores attinet. Inter hos autem omnes, qui a Pontificia ecclesia discesserunt, non pauci sunt, qui non eò audacie prolapsi sunt, ut facile aliquem pro heretico habeant, licet in quibusdam, quæ ad religionē Christianā pertinent, erret: de illis solis hoc dici posse putantes, qui talia dogmata tenent, quæ veram in Deum & Iesum Christum fiduciam & honorem utriq^{ue} debitum, & veram pietatem tollant. In reliquis quantumvis multis & pravibus etiam erroribus homines serendos, docendos, & levem illam regulam, quæ est charitatis, servandam esse statuentes. Domino enim unus quisq; stat, Domino cadit: si modò nihil ab eis contra pacem & honestatem publicam committatur.

Lapsus
Miedz-

Quis hære-
ticus.

Iam an tales hæretici fuerint illi, quos respondens nominat, ipse consideret. Evidem persuasum habeo plurimos habitos fuisse pro hæreticis, qui vel tantum pro infirmis fratribus habendi erant, vel etiam interdum rectam sententiam tuebantur. Ineptissime igitur illud dictum est, eos etiam, quibuscum rem habet respondens, non inficiaturos, hæreticos antiquos, idem etiam dixisse de ecclesia Romana, quod nos dicimus.

Argumen- Deinde dico, infirmam esse illam consecutio-
gatio infir- nem: Quidam, qui ecclesiæ Romane objecerunt, eam
ma Miedz errare, hæretici fuerunt. Ergo omnes, qui id ecclæ-
 sie Romane obiciunt, tales sunt. Nonne enim potu-
 erunt alia ratione, veteres illi hoc de ecclesia Roma-
 na affirmare, alia recentiores, quos pro hæreticis ha-
 bet respondens, quarum illa esset erronea, hæc verd
 perissima? vel nonne fieri potuit, ut hæreticus hære-
 tico illud olim objiceret, nunc verò sit, qui utriq[ue]
 hoc objiciat? Certè omnes illi, cùm quibus se rem ha-
 bere credidit respondens, Evangelici, tām Pontifici-
 os, quām Donatistas habent pro hæreticis. Sed
 deniq[ue], quænam est ista disputandi ratio, oblitum e-
 jus, quod maximè in controversia est, ita illud affir-
 mare, ac si ipsissima, apud ipsos etiam adversarios,
 esset veritas? Nonne enim respondens, dum ait, hæ-
 reticos illos fuisse, qui olim Romane ecclesiæ obje-
principi- runt, quod erret, tacite sumit, Romanam ecclesiam
um crassè esse veram Christi ecclesiam? At quid est principi-
etit Mied. um petere, si hoc non est? Hæreticos exagitat re-
 spondens, & persequitur sua oratione, interim quid
 se fiat,

se fiat, & suâ ecclesiâ, non curat. Nemini omniam
 ab eo tempore, quo Evangelium mundo annuncia-
 tum suit, magis propriè convénit titulus hæretico-
 rum atq; Pontificis & omnibus Romane ecclesiæ
 præfectis & asseclis. Hæreticum enim eum esse ne- Quis fugie
cesserit, quem Apostoli vitare jubent, & consortium endus.
 illius fugere. At si totus codex novi Testamenti vol-
 vatur, revolvatur, nulla alia de causa hoc præceptum
 esse Christiano populo invenietur, quam si vel bla-
 sphemus quis sit, vel impius: ut testantur hi loci,
 2. Tim. 1.20. 1. Cor. 5.12. Blasphemum appellamus illū
 qui tale dogma pertinaciter profitetur, quod fidem
 in Deum & Christum, & gloriam vel Dei vel Chri-
 sti tollit. Impium eum, qui peccati vel unius vel mul-
 torum habitum ita contraxit, ut resipiscere nolit.
 Pontifícia verò ecclesia, an hujus utriusq; criminis
 jure accusari queat, consideret pius lector. Cultum Ecclesiæ
pontificia
qu' alia.
 divinum tribuunt imaginibus, mortuis sanctis, virgi-
 ni Mariæ, hostiæ, quam vocant, Sacramentali, &
 sexcenta his similia pertinaciter tenent, quæ ita
 sunt blasphema, ut ipsa sese proderent, nisi hactenus
 vi externa, minis, cædibus, utcunq; defendenterentur.
 Vitam talē degunt generatim pleriq; quæ cum Chri-
 stiana pietate nihil commune habere potest, reliqui
 mera simulatione, simiâ scilicet pietatis, clarere vo-
 lunt. ut nihil nunc dicam de traditionibus ecclesia-
 sticis, de dogmatibus aliis plurimis, quæ cum summa
 nominis sanctissimi Domini Iesu, & ejus Evangelii
 ignominia Sathanas ipse in orbem Christianum in-
 vexit. Videat igitur tandem respondens, vel videant

ali is

alii, quomodo nobiscum agant Pontificii. Criminis, cuius ipsimet sibi sunt consci, vel saltem cuius ab omnibus, qui ab illis discesserunt, accusantur, & quod hactenus purgare nullo modo possunt, nos tam audacter reos facere annuntuntur, ut ita audacter calumniando, videantur imperitis ab eo alieni esse, cuius alios insimulant.

Si dicat respondens, cur igitur nos hactenus tantarum haeresium non convicistis? Respondeo, religionem ita esse comparatam, ut, nisi accedat hominis voluntas, nunquam in ea quicquam profici possit. Qui verò alios ad recipiendum aliquam sententiam vi cogunt, ii simulatores quidem multos habent, at paucos Christianos: & in hoc ipso adeo graviter contra Christi religionem peccant, ut vix gravius peccatum esse possit. Causa verò, cur hactenus nolint Pontificii agnoscere suas haereses, & veritati subscribere, in promptu est non una. Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei: metuunt quidam, ne e synagoga ejiciantur, & ne simplex evadat Monachus, qui modò Papa, Deus scilicet terrestris, vel Episcopus aut Iesuita, numen scilicet aliquid habebatur. Oppressit eos vis argumenti illius: Omnia hæc tibi dabo, si prostratus me adoraveris. Fieri etiam potest, ut licet quidam velint, tamen non possint, Deo scilicet volente. Ea enim est Dei iustitia, ea severitas, ut quando homines nolunt veritatem recipere ut serventur, sed eam & confessores ejus persequuntur, mittat eis vim erroris, ut mendacio credant, & quia non placuit eis habere cogni-

Causa in-
fidelitatis
in pontifi-
cis.

173 de missione Ministr. C A P. II.
cognitionem Dei , tradit eos Deus in sensum re-
probum.

Dicat igitur, quicquid velit respondens de isto
solenni: Erravit Ecclesia Romana, si modò ve-
rum sit, nihil efficit. Solenne certè illud est, nec pro-
pterea, quia id elevat respondens, cessabit esse solen-
ne, quo ista ecclesia perpetuò premi poterit. Hoc
autem an probatum sit, docent tot volumina, quæ
jam ea de re extant, quæ vel nunquam a Pontificiis
refutata sunt, vel ita repulsa & expulsa, ut magis
contempsisse & conviciis proscidiisse adversarios suos,
& arte sophistica veritatem obfuscasse, quam justæ
responsioni ad objecta illorum studuisse, & verita-
tem docuisse, jure videri possint. Itaq; sic etiam vicis-
sim alloqui adversariū: possum Audin, bone vir, Dico
te & tuam ecclesiam nihilò meliorem causam ha-
bere quam istos capitales Christi & Apostolorum
hostes, qui præ sua antiquitate, claritate, successio-
ne, traditionibus, Christum & Apostolos condemnā-
bant, aut, si quid aliud habes, profer. Sat scio, non
habebis, nisi istud vestrum solenne, Ecclesia Domini,
ecclesia Domini, ecclesia Domini apud nos: Hæc er-
rare non potest, quod vos dicitis & non probatis, ac
nec probabitis unquam.

Pergit respondens, & sic ait: Verùm hoc
totum ego mitto, ne longum faciam. Illud
quæro, quis vobis permisit, ut ab ordine
constituto ab Apostolis discederetis? nam
ut ut est reliqua in Ecclesia Romana doctri-
na, de qua modò non disputo, ut dixi, hoc
certe

certè, quod circa Ministrorum missionem
sit apud nos, non ex cerebro suo commenta
est Ecclesia Rōmana, sed ab Apostolis, atque
adeò divinis ipsis oraculis accepit. Scimus,
præter alia, quæ in ministro semper require-
bant Apostoli, fuisse ordinationem, quæ ex-
ternâ ceremoniâ, manuum scilicet imposi-
tione, perficiebatur. Ita Paulus & Barnabas
ordinatus est ab Apostolis. Ita ipsi vicissim
ordinarunt: & inter cæteros Timotheus hoc
modo Minister Ecclesiæ constitutus est a
Paulo, qui deinde alios eodem modo crea-
bat. Vnde etiam monetur ab Apostolo, ne
cito cuiquam manus imponat. Vno verbo,
hæc manuum impositio in perpetuo usu fu-
it apud Apostolos, eorumque successores,
nec sine ea legitimus verusque Ecclesiæ Mi-
nister censebatur unquam. Quod cùm ita
sit, cur vos hodie hanc ordinationem & ma-
nuum impositionem sustulistis? Cur admi-
nistri missionem nihil amplius requiritis,
quàm ut prædicationem ejus ii, qui audiunt,
ratam habeant? Hocciné est ad normam A-
postolicam Ecclesiam reformare, ut vulgò
jaçtare soletis? Primùm hic dicuntur non pau-
ca falsa. Deinde, etiamsi omnia essent verissima,
tamen ad rem propositam nihil faciunt. Falsum est
hoc, quod circa ministrorum missionem sit apud
Pontificios, non ex cerebro suo commentam esse
ipsorum ecclesiam, sed ab Apostolis, atq[ue] adeò ex di-
vinis

vinis oraculis accepisse. Fiunt enim hodie circa missionem Pontificiorum sacerdotum, ea, quæ ab Apostolis profecta esse neq; per speciem, quisquam cordatus affirmare, nedum probare ausit. Et fatentur hoc omnes ferè Pontificii, ea ab autoritate ecclesiæ omnia pendere, quæ plurima fiunt circa istam suorum sacrificiorum missionē. Hoc verò si de sola manuum impositione intelligit respondens, concedimus id quidem certo respectu: sed dicimus tamen, non ita indefinitè loquendum fuisse, & deinde ex eo, quod concedimus, id quod rult adversarius, nullo modo consequi, mox ostendemus.

Deinde falsum est, Apostolos semper requisiisse in Ministro ordinationem: quò per-
tinet illud: & neminem unquam pro legitimo veroqué Ecclesiæ Ministro absque manuim impositione habitum fuisse. Paulus enim,
qui brevitati ut plurimum studet, prolixè describens proprietates & requisita Episcopi, nullam hu-
jus rei mentionem facit, quam tamen omittere nul-
lo modo potuisset, nec porrò omisisset, si ad naturam
& substantiam muneric Apostolici esset necessaria.

Si fortasse dicat respondens, alium esse Episco-
pum, alium ministrum; Primum id falsum est. Is e-
nimi maximè inspecto est, quod vox Graeca notat, Episcopus
& πιστήπος, qui alios docet, & qui docet, is maxi-
mè inspicit. Hinc etiam in Episcopo requiritur illa
ad docendum aptitudo. Deinde magis id etiam cau-
sam respondentis pessundaret. Nam si Episcopus (qui
plus est apud Pontificios, quam minister, vel prece-
verbi

z. Errō

Miedzyb.

Episcopus

& Doctor

i dem sunt

verbi divini) absq; missione esse potest, quanto magis minister?

3. Error. Præterea falsum est, Paulum & Barnabam Miedzyb. ordinatos fuisse; falsius eos propriè ordinatos fuisse isq; multi- ad docendum alios, falsissimum eos ordinatos fuisse plex. ab Apostolis. de quo, quia supra etiam egimus, eò lectorem remittimus, vel potius ad ipsum locum Actorū. Is enim cuivis falsitatem manifestè ostendet. Falsum est, Barnabam, ita, quemadmodū ordinatus ipse erat, alios etiam ordinasse: vel potius verum est, ita Barnabam alios ordinasse, ut ipse ab Apostolis ordinatus fuerat, hoc est, neminem eū ordinasse, quia & ipse ab Apostolis ordinatus non fuerat. Falsum etiam, vel saltem admodum incertum est, Apostolum, cum Timotheum monet, ne citò cuiquam manus imponat, de ordinatione ministrorum loqui: cum potius de recipiendo peccatore lapsō loquiveatur, ut ex ipsis verbis apparet. Falsum est & cavilus, nos ad Ministri missionem nihil aliud requirebare, quam ut prædicationem ejus ii, qui audiunt, ram habeant. Nullam enim missionem agnoscimus, quomodo igitur ad eam aliquid requiri dicere possumus? Non ad missionem, sed ad publicam prædicacionem dicimus satis esse, si illi, qui ministrum audiunt, eum eligunt, & approbant. Hæc de falsis

argumen- Verum enim yero; esto, id, quod hodie. apud ratiō insfir- Pontificios circa missionem fit, nempe manuum im- au ma Mascz. positionem, ecclesiam Romanam ab ipsis Apostolis, atq; adeò ex divinis oraculis accepisse, esto, Paulū & Barnabam ordinatum fuisse, ab Apostolis; esto ipsos no- viciissim

vicissim alios ordinasse; esto Timotheum a Paulo hoc
 modo constitutum fuisse; esto deniq; eum alios eodem
 modo creasse, num hinc consequetur, hoc esse univer-
 sale & perpetuum, vel necessarium? Nihil minus.
 Ab Apostolis adeoq; ipsis divinis oraculis accepit Ro-
 mana Ecclesia abstinentiam esse suffocato & sanguine:
 & tamen ea, nec universalia sunt, nec perpe-
 tua aut necessaria. Causa esse potuit, cur Apostoli
 aliqua re uterentur, quā tamen nobis uti nullo modo
 licet, vel saltem non necesse est. Nobis in religione
 perpetuō & necessariō sequendum est, non quod A-
 postoli olim secerunt, sed quod nobis illi ut perpetu- Quid in
religione
 um & universale praeceperunt. Quod si in omnibus,
 que illi fecerunt, verum est, (ut est) licet quedam e-
 orum in nostra etiam sint potestate, ut ea scil. facere
 possimus: quanto id magis de iis verum erit, que ho-
 die in nostra potestate vel sita non sunt, vel saltem
 absq; omni tali fructu fierent, qualis tunc conting-
 bat, cum Apostoli illis uterentur. Quod de imposi-
 tione manuum apprimē considerandum est. Tanta
 enim erat vis & autoritas Apostolorum, ut plerumq;
 illi, cuicunq; manus imponebant, dona spiritualia Quid de
 simul conferrentur: At hodie nemo est, qui id sibi impositio-
 tribuere possit, tum, quia id non necesse sit, tum ne manū
seatiendū
 via impossibile sit ab homine errorum & interdum
 diuina peccatorum pleno, divina dona posse proficisci,
 natales hodie, si nō omnes, saltem pleriq; sunt illi, qui
 istam potestatem alios ordinandi sibi vendicant.
 Cumq; hodie facile fieri possit, ut observata hac ceri-
 monia, is, qui eam aliis confert, credat etiam, se p̄a-
 m M ditum

ditum esse illa potestate , quâ olim illi prædicti erant , qui eam aliis conferebant , non necessarium omnino est illam ceremoniam usurpari : imò utile etiam esse potest , eam planè intermitte . Solet enim ex hujusmodi ceremoniis oriri superstítio , pestis omnis veræ religionis : dum homines (ut solent) plus illis tribuunt , quâm ipsi veræ pietati . Quanquam vicissim eam observari posse , si absit superstítio , non diffitemur . Ut igitur ad verum Ecclesiæ ordinem conservandum non pertinet necessariò manuum impositio : sic etiam non necesse est eos , qui Ecclesiæ reformandæ student , ad talem ceremoniam , quæ ab impurissimo homine administrari potest , recurrere . Alia sunt eaq; multa & gravia , quæ in Ecclesiam iterum introducenda sunt , quibus ea reformanda est , ut scilicet verus Dei & Iesu Christi cultus , & vera solidaq; pietas ei restituatur . Hoc dum faciunt illi , qui a Pontificiis defecerunt , satis officio suo faciunt , & reformatorum nomen jure merentur .

Sensit autem Respondens , obijci a nostris posse , facile esse manus alicui imponere , & hunc etiam morem observari a plerisq; , qui Pontificiæ Ecclesiæ valedixerunt . Itaq; sic ad ea : At ego , ait , quæro à quo ? Si a senioribus vestris , hoc nihil valet . Istos enim in plebe censeri , nemo negat . Sane in veteri Ecclesia nemo manus imponebat ministris , nisi Apostoli & Episcopi , quin in eorum locum successerunt , vel certè profer exemplum , ubi a plebe alicui ministro manus sunt impositæ . At ego vicissim queremus anno

annon Presbyter esse possit , qui sit unus ex auditori- Presbyter
ribus , & non doceat alios? Certè id ex eo aperte vi- esse potest
detur colligi , quod Apostolus distinguit eos , qui labo- qui non do-
runt in verbo & doctrina a Presbyteris , & Presby- cet alios.
teros eos etiam appellat , qui aetate aliis sunt superio- 1. Tim. 5. 13
res. Idem verò Paulus testatur , Timotheum ad mu- 17.
nus suum electum fuisse , per præcedentes Propheti- 1. Tim. 4.
as , cum impositione manuum presbyterii , hoc est , o-
mnium illorum , qui erant presbyteri. Falsum igitur
est , non posse eos , qui sunt ex auditoribus , manum a-
lii imponere , & ita ipsius electionem approbare. Sed
præterea , si soli Episcopi hoc facere possunt , nonne
potest expectari , donec convenienter Episcopi vel Do-
ctores Ecclesiarum , atq[ue] ita ministri ab illis cum hac
ceremonia muneri isti destinari ? quod facere eos ,
adversus quos nominatim scribit respondens , nempe
Evangelicos , nec ipsum respondentem nescire per-
suasum mihi est. Illud quod de Diaconis ipse afferit
& respondet , nolumus examinare , cum illud in scri-
pto anonymi non sit allatum.

A re digressus respondens ita se recolligit ,
Verùm , ut ad rem revertamur , ex dictis pla-
num est , vos in ministris vestris non solum
ab Ecclesia Romaná , sed etiam ab Apostoli-
ca consuetudine & instituto deflexisse , ac
proinde etiam ministros veros non habere ,
quodq[ue] consequens est , nullam apud vos esse
Ecclesiam . nam Ecclesia Christi , sine mini-
stris legitimis esse nequit. Isti autem sine E-
piscopis , a quibus creentur per manum im-

*Vbi sunt ve-
ri ministri.*

positionem. Ad quæ nihil aliud respondere opus est, quam hoc: Quoniam ostensum est, consuetudinem & institutum Apostolicum, non esse necessarium; Episcopi vero & ministri, ab illis, qui a Pontificia Ecclesia discesserunt, elegantur secundum Canonem quem ipsis Apostoli prescriperunt, hinc planum esse, eos veros ministros habere, & si verum est respondentis consequens, apud eos etiam veram esse Ecclesiam: Illos vero, qui sacerdo Canone & precepto Apostolico, illud observant, quod præceptum non est, ostentare potius se esse Ecclesiam, quam esse, & similes haberri posse Pharisæis, quod, ut hi olim Mosaicam, sic illi Apostolicam occuparunt Cathedram, & ex illa, quod libet, populo præcipiunt.

Matth. 23. 2. Dixerat autem præterea anonymous, etiam, cum quis a recepta doctrina recedere non vult, posse Christi fideles extra ordinem, pro ratione loci & temporis, prædicandi munus sua sponte aggredi, & sacramenta etiam administrare: idq; quod ad prædicationem attinet, confirmat tum exemplo eorum, qui post mortem Stephani dispersi per varias regiones Evangelizarunt verbum Dei, præsertim vero Antiochiae; tum Philippi, qui Diaconus erat: quod vero ad administrationem sacramentorum attinet, attulerat exemplum Samaritanorum, qui ab eodem Philippo ritè baptizati fuerunt, & Antiochenorum, qui ab aliis baptizati, per Barnabam ab Apostolis missum, moniti fuerunt tantum, ut in proposito suo permanerent. Ad hæc sic respondet adversarius. Sed ego quæro ex te, cur non ostendisti alii

quem

quem ex illis dispersis cænam quoq; Dominicam fidelibus ministrasse. Certè hoc etiam ministrorum est proprium. Cur ergò non ministrarunt? Quia nimurum non potuerunt. Ergò vel ob eam causam potestas in ministris est necessaria, quam per ordinacionem, de qua dictum est, accipiunt; quā vestri ministri, quia destituti sunt, non sacramentum administrant, sed, ne quid dicam gravi^o, simiarum instar comædiam populo exhibent. Si dicat anonymous, se ideo non attulisse exemplum de administratione cænae, per aliquem ex vulgaribus fidelibus administratæ, quia nullum tale a- pertè scriptum extet, num hinc consequetur, a quo vis fidelium eam administratam non fuisse, aut saltem administrari non potuisse, proratione loci & temporis? Nimi certè crassum id & rude esset. nam a non scripto (ut loquuntur) non valet consequentia. Sed nonne præterea superius demonstratum fuit ex loco i Cor. n. Christum Apostolis suis, ut discipulis, istum ritum servandi præceptum dedisse, & universo cœturi celebrationem ejus incumbere? In eo verò, quod ridet eos, qui cænam Domini administrant, cum non sint missi more Pontificio, dignus ipse magno risu est. Quid enim faciunt illi dignum risu, vel simiarum instar, qui id ipsum faciunt, quod Dominus Iesus olim fecit, & aliis, ut idem facerent, præcepit, idq; tantâ, quantâ unquam esse potest animi reverentia & religione? Pontificii verò sacrificuli an non comicò Tragædiam & Tragico comædiam po-

*Infirmum
argumen-
tum Mie-
dzib.*

*Pontificie
rum missa
digna risu*

pulo exhibent, dum missam adornant, candelas in meridie accendunt, statuas apponunt, in hanc & illam partem sese convertunt, campanas pulsant, suffitius faciunt, meditabundi & quasi extra se rapti ad aram stant, panem illum suum elevant, & tandem locopopuli, eundem comedunt? Iudicent omnes, quibus veritas magis quam consuetudo placet.

Sed pergamus ad alia: Ait igitur ulterius. Verum largiamur hoc tibi. Liberalis scil. est nimium, qui id largitur, quod ipse non habeat, nec possideat: Quid, ait, illis exemplis, quæ ad duxisti, extra ordinariam putas te evicisse missionem? Nimium rudis es, si id existimas. Nam ut de Philippo in primis dicam, is fuit Diaconus, ut ipse fateris. Prædicare igitur ordinariè poterat. Non enim munus Diaconorum sola viduarum cura continebatur, ut tu tibi persuasissime videris. Nam & Stephanus erat Diaconus & tamen prædicabat, semperq; hoc usurpatum est in veteri Ecclesia, ut Diaconis aliqua potestas prædicandi permittereatur, ut ostendi potest tum ex multis aliis, tum ex Ambrosio. Concedit respondens, posse eum vel eos etiam prædicare Evangelium, qui non sunt ad illud prædicandum missi, sed ad aliud planè diversum destinati, & tamen dicit, nimis rudem esse anonym., si putet, se illis exemplis evicisse, posse etiam illum docere, qui missus ad docendum non sit: cum tamen ipsa res loquatur, rem aliter nullo modo se habere posse; & dato illo, hoc etiam dari necessarium.

Secum pugnat Mie-
dzib.

riò. Sed respondens nimis astutus est, qui affingat *Astutus*
anonym., quòd putet se evicisse extraordinariam *Miedzib*
missionem: cum tamen de ea nihil unquam cogita-
verit, imò contrarium ejus urgeat perpetuò, posse
scil. cum etiam prædicare Evangelium, qui missus ad
id nullo modo sit, adeò, ut gladium pro se jugulan-
do attulerit respond. dum veteris Ecclesiæ autorita-
te docet, potuisse etiam illos olim prædicare, quorum
id munieris nullo modo erat. Et hoc ipsum est, quod
nos volumus. Nam si permissa fuit potestas prædi-
candi Diaconis, jam non erat propria illorum, qui ad
hoc missi sunt. Non enim ad docendum missi un-
quam fuerunt Diaconi, sed ad curam gerendam *Act. 6. 1.*
pauperum, ut testatur locus, in quo de ipsorum ele-
ne agitur.

Pergit & ait: Quod ad alios attinet, pro-
basti quidem illos prædicasse: sed id invitis
Apostolis fecisse non probas. ego autem pu-
tavero, similius esse, quicquid ab illis fa-
ctum est, voluntate Apostolorum factum
esse. Id mihi persuadeo vel ex eo, quòd si
Barnabas atq; adeò ipse Paulus non nisi post
ordinationem manuumq; impositionem
missi sunt ad prædicandum, certè neque isti
nesciis atque adeò repugnantibus Apostolis
simile quidpiam unquam ausi fuissent. *Quid*
verò opus est probare *anonym.*, fideles id invitisi Apo-
stolis fecisse? satis est eum probasse, quod fecerint.
Insignem scil. hic agit sophistam Respond. ut, cum,
quomodo declinaret hoc exemplum, vel potius hæc *Sophis*
Miedzib

exempla, non inveniret, aliquid dicere quam veritati cedere maluerit. Nec anonym. ait, eos id invitis vel insciis atq; repugnantibus Apostolis fecisse; & concedere potest, id voluntate Apostolorum factum esse, & tamen firmum manebit, eos etiam prædicasse, quorum id non erat proprium tunc, cum esset constitutus ab ipso Christo ordo ille prædicandi Evangelium. Is facit aliquid invito alio, qui id facit, quod aliis prohibet, & prohibendi potestatem habet. Sed hoc Apostolos prohibuisse ne alii prædicaret, vel prohibendi illud potestatem habuisse dici nullo modo potest. Quomodo enim is esset Apostolus, qui, ne Evangelium annunciatetur, prohiberet, quod tamen omnibus notissimum esse cupit? Et certe nec Apostolo parendum fuisse, si id ad eam rem a pro prohibuisse. Factum autem id esse voluntate Apostolorum similiter dici potest, quia id planè velle debuerunt, alioquin Christi discipuli non futuri. Sed non hoc queritur, Sophista, an Christiani vulgares Apostolis insciis vel nivitis prædicarint, & an Apostolus acceptum fuerit, quod tales prædicarunt. hoc enim extra omnem controversiam est, nisi quis de Apostolorum in Christum pietate dubitare velit: Sed an illi, quos prædicasse negari non potest, ad eam rem missi fuerint, vel nū sua sponte id aggressi sint, hoc nunc in questione est? Quia verò fateri cogeris, eos ab Apostolis missos non fuisse (nisi enim persecutio accidisset, urbe patria nunquam exivissent,) hinc consequens est, posse aliquem, qui non est missus, tunc eam, cum ordo servatur & a doctrina recepta non recedi-

receditur Evangelium prædicare. Imò hinc inferri illud potest, quod anonym. ad calcem scripti sui addiderat, ad quod nihil respondet adversarius: Si in ipso Evangelio annunciendo, non omnino necessaria est ritè ad id manus prius facta electio, quamvis jam divinitùs certis quibusdam hominibus provincia data fuerit; multò minus certè necessaria omnino erit in divinis oraculis, quæ omnibus ad intelligendum proposita sunt, explanandis & explicandis. Tantum abest, ut ministris, de quibus loquimur, qui ex constituto jam ordine & ratione inter eos, qui de religione idem, quod ipsi sentiunt, ritè ad hoc munus antea electi fuerunt, quisquam ejusdem muneris controversiam meritò movere possit.


Habes, ad tuam, ut vocas, responsonem, vel, ut ego sentio, Sophisticam cavillationem. In qua refellenda illud curavi, ut veritas divina, quæ Pontificiorum dogmatum tenebris obfuscata hactenus est, caput tandem exerere, & antiquo nitorirestituta æternū fulgere & lucere possit: & ut omnes agnoscent, Pontificios, & hodie Iesuitas fucum facere posse, decipere nisi parum sensatos & parum probos non posse.


C. Anno 1607.





9546





13898

9546
—
—

